



1. Rous / Joh. Reinh. / diff. de serpente se-
ductore non naturali sed solo diabolo
iend 1712.
2. — diff. de vario Mosei in Montem Sinai
ascensu, iend 1716.
3. — diff. de iudea reburgestis et
miraculis Christi clara, iend 1733.
4. — diff. de veris sectatorij Jesu Christi
requisitis, iend 1733.
5. Rurmejer / Mich. Christ. / diff. de Arara-
ne, viro sancto, tribus Levi, typo
Christi, Gryphisw. 1738.
6. Sauerbreij / Joh. / diff. de Deo uno et
trino 1648.
7. Schackeri / Jac. / diff. de septem Spiriti-
bus a Joh. Theologo celebratis
Lipsiæ 1736.
8. Schelzuig / Sam. / diff. de dono fidei
iustificantis, 1734.

9. 21.

23

DISPVATIO THEOLOGICA
DE
DIDRACHMIS
A
CHRISTO SOLVTIS.

Von dem
von Jesu bezahlten Zins-Groschen

Matth. XVII. vers. 24. seqq.

DE QVA
SVB PRÆSIDIO
SEBASTIANI SCHMIDT,
SS. THEOL. D. P. P. ORDIN. TEMPLI CATH.
ECCLESIASTÆ,
IN AVDITORIO PVBLICO

RESPONDEBIT
M. MICHAEL FRENTZ, ARGENT.
D. M.

ARGENTORATI.

VITEMBERGAE
Recusa, PRELO HAKIANO. AN. MDCCXXXVII. (6)

21.

DISPUTATIO THEOLOGICA

DE

DIRACCHMIS

CHRISTO SOLUTIS

SENIORI

Don Jo. de S. J. de S. J. de S. J.

SENIORI

DE

S. B. P. S. J. O. I. O.

SEBASTIANI SCHMIDT

SENIORI DE S. J. DE S. J. DE S. J.

ECCLESIASTAE

IN A. D. I. O. R. I. O. P. V. E. L. I. G. O.

RECTORI

M. MICHAEL FRANK

D. M.

AR. B. S. T. O. R. I. A. T. I.

TI. B. S. J. O. N. A. S.

Recepit FR. E. O. H. A. L. I. A. N. O. A. N. M. D. C. C. X. X. V. I. I. I.





DISSERTATIO THEOLOGICA
DE
DIDRACHMIS A CHRISTO
SOLVTIS.

Matth. XVII. vers. 24. seqq.

§. I.

DE *Didrachmis a Christo Solutis*, Matth. XVII. v. 24. seqq. cum bono Deo aliquid acturi sumus. Ubi ante omnia præmittimus ex Evangelista, qui solus habet, ipsa historiae verba: *Postquam autem venissent illi* (Christus & discipuli ejus) *in Capernaum, accesserunt ei τὰ δίδραχμα λαμβανοντες, ἵι qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt: ὁ διδάσκαλος ἡμῶν ἢ τελεῖ τὰ δίδραχμα, Magister vester nonne solvit didrachma?* Dicit: Ita. Et quum ingressus esset in domum, præuenit ipsi Iesus, dicens: *Quid tibi videtur Simon? ἐβασίλεις τῆς γῆς ἀπὸ τίνων λαμβάνουσιν τέλη, ἢ ἡῶσον; Reges terræ a quibus accipiunt vestigalia aut censum? ἀπὸ τῶν υἱῶν αὐτῶν, ἢ ἀπὸ τῶν ἀλλοτρίων; a filiis suis, an ab alienis?* Dicit ipsi Petrus: *ab alienis. Dixit ipsi Iesus: Ergo liberi sunt filii. Ne vero scandalum ponamus iis, ubi abiveris admare, ejice hamum, & primum ascendentem piscem tolle, & quum aperueris os ejus, inuenies staterem. Hunc sume, & da iis pro me & te.*

§. 2. Variæ circa hanc historiam nascuntur Quæstiones. Præcipua facile est, cuiusmodi fuerint didrachma, quæ a Christo exactores exegerint, & de quibus Christus cum Petro tam mul-

ta collocutus, tandemque solverit? In qua quæstione etiam præcipue solvenda versabimur: de reliquis breviter, antequam ad illam principalem perveniamus, nonnulla dicturi.

§. 3. *Quæstio prima est de Tempore, quando hæc historio contigerit? Lightfootus* Hor. Hebr. in Evangelium Matthæi ad Cap. XVII. vers. 24. putat fuisse prope Festum tabernaculorum, & alii, qui statuunt, prope festum Paschatis contigisse, existimat, nasci hinc objectionem, non facilem admodum responso. *Occurrit hic, inquit, non facilis admodum responso, hæc objectio. Tempus solutionis didrachmorum, erat circa festum Paschatis (Sebekalim cap. 1. hal. 3.) At longe jam elapsus erat id temporis, appropinquavitque festum Tabernaculorum. Responderi posset 1. Matthæum qui hanc historiam recitat, seriem & ordinem temporis non observasse, quod ei non insolitum: quippe qui inter omnes Evangelistas maxime historiarum tempora dislocet. At concedatur, ordinem historiae apud eum rectum hic & proprium; Respondetur 2. Aut Christum ad pascha proxime elapsum vix affuisse, aut si afforet, ob impendens illi periculum ab insidiis Judæorum non potuisse solutionem hanc præstare, eo modo, quo oportuit. Animadvertite ea, quæ dicit Joannes Paschate proxime elapso cap. VI. 4. Prope erat Pascha festum Judæorum; & cap. VII. 1. Post ista Jesus ambulavit in Galilæa, voluit enim amplius ambulare in Judæa, quia studebant Judæi eum interficere. 3. Non inusitatum erat solutionem didrachmorum hujus anni in annum sequentem prorogare; illud urgente aliqua necessitate. Hactenus Lightfootus. Sed non video quare adeo se torqueat Vir doctus alioqui. Matthæum ordinem historiae hic observasse, ex antecedentibus & consequentibus apparere facile potest; maxime si reliquos Evangelistas conferamus. Incipit caput decimum septimum a clarificatione Christi in monte. Subjicitur bono ordine, quid circa Lunaticum puerum & patrem ejus contigerit, quando Dominus de monte descendit. Sequitur v. 22. prædictio Passionis, mortis & resurrectionis Christi, quum versarentur in Galilæa. Et tandem finito itinere per Galilæam, narratur, quod Dominus*

minus

minus cum discipulis suis Capernaum venerit. Non video quid hic in ordine desiderari possit. In capite decimo octavo subjungitur quæstio de majori inter discipulos, dicunturque discipuli *ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ*, in illa hora accessisse ad Jesum. Plane consentit Marcus cap. IX. licet nostram historiam non habeat Postquam narravit historiam Clarivicationis Christi & pueri Lunatici, v. 30. subjicit; *Et inde exeuntes pertransverunt per Galileam.* Pergit vers. 33. *Et venit in Capernaum.* Eodem versu subjicit, quod, cum Dominus ibi esset, in domo, in qua etiam fuit juxta narrationem Matthæi, quum didrachma peterentur, Dominus quæsierit, quid locuti essent in via: & fuisse ait quæstionem, quismam maximus esset; quam Dominus solverit, ut est Matth. XIX. v. 1. seqq. Eundem plane ordinem observat Lucas cap. IX. à vers. 23. & deinceps. Qui idem Evangelista refutat quoque vers. 31. opinionem Lightfooti, & quorumcunque præterea est, quasi procul abfuerit à Paschate, & propius festo Tabernaculorum, quando Dominus Capernaum ingressus est. Postquam namque in antecedentibus narravit disceptationem discipulorum de primatu, pergit; *Factum vero est, quum complerentur dies assumptionis ejus, & ille faciem suam confirmavit, ut abiret Hierosolymam.* Quæ verba sane ii quoque, qui de instante Passionis tempore non interpretantur, de uno ex paschatis Christi tamen accipiunt. Sed decipitur, ut apparet, Lightfootus per hoc, quod putat hoc pertinuisse ad tempus, de quo Johannes cap. VII. v. 1. loquitur, quando Christum in Galilæa circumambulasse dicit: tum namque prope fuisse festum Judæorum, scenopegiam. Nam non fuit tempus illud ante scenopegiam, sed post scenopegiam. Post festum namque scenopegiæ rursus in Galilæam concessit, & ex Galilæa in Judæam trans Jordanem ubi prius Johannes baptizabat, reversus Matth. XIX. v. 1. Marci X. v. 1. Joh. X. v. 40. ibi commoratus est, donec à sororibus Lazari vocaretur Joh. XI. v. 3. & Lazarum resuscitaret. Post quod vicino paschate paulisper Ephraimi commoratus, ibid. vers. 54. 55. Bethaniam rediit, & Hierosolymam sub ultimum Pascha ingressus est Joh. XII. v. 1. 2. Ex his omnibus concludimus, paucas septi-

manas ante Pascha fuisse, cum didrachma à Christo peterentur: ut incidere momentum temporis in illas ipsas septimanas ante Pascha, quibus extra Hierosolymam sicli in usum templi sacrum colligi soliti sunt.

§. 4. *Quaestio Secunda est; quare Exactores didrachmorum ad Petrum potius, quam ad Christum, aut alium ex Apostolis accesserint?* Quod prius attinet, hoc est, quare ad Petrum potius, quam ad Christum, accesserint? Apud Patres, Chrysostrum, Hieronymum, Theophylactum, Bedam, duæ deprehenduntur sententiæ: prior, quod reverentiæ causâ non ausi sint ad Christum accedere; quæ quidem reverentia ex miraculorum magnitudine apud eos orta fuerit: posterior, quod malitiose potius ad Petrum, quam ad Christum accesserint, ut ex eo facilius discerent; num Christus tributum Cæsari solveret, & si negaret, occasionem caperent accusandi. Ex quibus prior Maldonato probatur. Fatemur, posteriorem sententiam nobis etiam parum placere. Nam non legimus in Historia Evangelica, quod ejusmodi insidias Christo struxerint. Præterea non dubitamus, quin Exactores isti noverint, Christum quotannis solvere. Quod vero quærent, non est ignorantium, sed affirmantium. Notum enim est, quod interrogationes negativæ affirmare soleant. Et eadem usurpantur, quando cum aliquo in colloquium venire volumus. Dicere itaque ad Petrum volunt: Magister vester solet, ut scis, didrachma solvere; quandoquidem itaque iterum tempus solverorum advenit, idem ab eo expectamus faciendum. Quis namque nescit eos, qui tributa aut pecuniam quamcumque capitationis exigunt, consignata habere nomina, ut quaerere illis plane non sit necesse, quisnam dare debeat? Licet vero res sic se habeat, non tamen opus est, ut dicamus, reverentiæ causa propter miracula Christum non accessisse sed Petrum. Textus namque aliud nobis monstrat, nimirum Petrus erat extra domum; Christus autem intra domum: quandoquidem Petrus in domum abijt, cum, quid peteretur, nunciare illi vellet: & intra do-

domum quoque Dominus cum illo collocutus est. Quanquam non negamus, quod ex civili quoque honestate potius ministrum, quam Doctorem & Dominum accedere debuerint. Certe enim Christus in Capernaum & tota Judæa auctoritatem Doctoris habuit, & ab his ipsis Exactoribus *διδασκαλῶν*, Doctor seu magister appellatus est: qui titulus in magno honore apud Judæos fuit. Christus vero etiam cum Exactoribus istis non nisi per discipulum suum h. e. Petrum egit, cui dixit: *Accipe eum (staterem) & da illis pro me & pro te.* Quod non ex arrogantia fecit, nec sic interpretari poterat, quisquis modo communem cum aliis Doctoribus auctoritatem illi concedere voluit. Non itaque nobis displicet, quod Exactores bonis & amicis verbis cum Petro egerint, & per Petrum cum Christo. Hinc vero nonnulli concludunt; Ergo non exigebatur census Imperatoris Romani, quem imperare solebant. Quod argumentum nullius momenti est. Nam Imperator quidem imperando imposuit: Voluit autem sine dubio, quod etiam humanitas communis omnium terrarum exigit, ut Exactores humaniter tractarent eos, a quibus exigent. Neque enim si Imperator imperat, infimorum ministrorum officium est, ut imperiosis, & ut sic dicam, Imperatoriis verbis utantur. Et quasi non eadem ratione contra hemi siclum templi argumentari possim. Nonne enim hic ab ipso Deo, qui Imperatore non tantum major, sed pro quo etiam Judæi majori Zelo utebantur, impositus & imperatus est? Jam ad posterius quod attinet, quare ad Petrum potius quam alium ex discipulis accesserint Exactores; brevis nobis est responsio; quia Petrus foris extra domum fuit, non alius quis: Ut alium aliquem non presentem compellere nequiverint. Inepti sunt Pontificii, quando aliquem Petri primatum hinc excudere conantur, quasi propterea ad ipsum accesserint exactores, quod eum nosset principem discipulorum. Sed *Maldonatus* h. l. coactus est fateri, alios ex discipulis Christi non adfuisse. Longe etiam modestius *Jansenius* in h. l. scribit; *Tributi autem hujus receptores pro magnitudi-*

ne signorum Dominum reverentes non audebant ab eo repperere, sed discipulum conveniunt, idque Petrum, vel quode is tum solus adisset Domino vel quod viderent illum Domino magis familiarem.

§. 5. Quæritur Tertio: Quare Christus pro se & solo Petro, non autem pro reliquis discipulis didrachma solverit? Ex Pontificiis sunt rursus, qui aliquam Petri præ reliquis discipulis prærogativam emendicari conantur. Et frustra in subsidium vocant quosdam ex Patribus, qui referant factum, quod Petrus Apostolorum caput esset. Nam Patres licet Petrum non raro etiam alias Apostolorum caput dicant, & Principem: ejusmodi tamen potestatem, cujusmodi illi inde à Petro in Pontificem Romanum derivare conantur, nusquam assignarunt. Præterea referunt potius Patres sententiam, quam ut suam faciant. Ipse etiam Maldonatus non audet, plus quam probabilitatem sententiæ adscribere: Quare, inquit, pro Petro potius, quam pro aliis Apostolis dari tributum jusserit (Christus) solet hic disputari. Chrysofostomus & Euthymius respondent, tributum illud in solis primogenitis fuisse solvendum, Petrum autem primogenitum fuisse. Quæ opinio præterquam quod versu præcedente refutata est, ex eo etiam refutari potest, quod inter alios etiam Apostolos aliquos fuisse primogenitos dicendum est. Melior est altera illa ratio, quam iidem Auctores & Hieronymus adferunt, propterea Christum pro se & Petro solvisse, quod Apostolorum caput esset. Scio hanc rationem nostris hæreticis non placere, sed multo profecto est, quam illa, quam ipsi adferunt, probabilior, ideo pro Petro solvisse Christum, quod in illius domo versaretur. Jansenius tandem judicium tantum excellentiæ Petro deputatæ invenisse se putat. Quare autem, inquit, Dominus statere invento, id est, duobus didrachmis, jusserit reddi pro se, & Petro, & non etiam pro aliis Apostolis suis didrachmum solverit, aliquam ingerit quæstionem. Non enim ea potest dici fuisse causa, quam reddit Chrysofostomus, quia scilicet etiam Petrus fuit primogenitus, ut supra ostensum est. Nec ea quam reddit Lyranus, quia scilicet Dominus Petrum jam fecerat veluti Capitaneum suorum Apostolorum,
 & tri.

Et tributum hoc tantum per capita familiarum esset solvendum. Ostensum enim superius viritum fuisse pensitandum. Ex quo etiam patet, esse plane vanam Tirelmanni suspicionem & opinionem, putantis, tributum hoc exigi solum a transeuntibus civitatem Capernaum, & simplex quidem didrachmum solvendum, cum quis solus transiret; duplum autem dum cum aliquo comitatu. Dicitur enim, non a transeuntibus, sed ab habitantibus Capharnaum solvendum fuisse, & Dominus staterem non pro se & suo comitatu jussit dari, sed pro se & Petro. Quod ergo pro se & Petro jussit dari, vel ob id potest videri factum, quod tunc solus Petrus Domino adesset, vel potius ab id, ut Petrum hujus negotii mediatorem, & miraculi executorem pro ejus fide simplici, obedientia & opera, & veluti mercede quadam honoraret. Proinde sicut in hoc facto observanda est simplicitas fidei in Petro, nihil dubitante de novo & in audito Domini praecepto: Ita similiter observandum in ipso Domino, quo modo rursum Petrum pro aliis honoraverit prerogativa nova, cum eum tanti miraculi voluit esse executorem & participem, indicans satis, etiam ipsum secum a Tributi debito jure debere esse liberum, propter peculiarem excellentiam ei deputatam. Mirum est, doctos viros etiam ejusmodi ineptiis indulgere. Christus jussit dari staterem pro se & pro Petro antequam Petrus simplici fide obediens fuisset, & operam suam Domino praestitisset. Quare ergo non potius dicitur quod Christus hoc praemio ad simplicem fidem, obedientiam, operamque praestandam invitaverit? Caetera inhumanum & quodammodo ignominiosum fuisset, si Christus executioni miraculi alium quam Petrum, ad quem casus, & compellatio exactorum negotium devolverat, deputasset. Visus enim sane fuisset Petrum repudiasse, & indignum judicasse, quin etiam ei succensuisse, quod exactoribus gratificatus negotium apud Dominum agendum in se suscepisset. Si modo tum alius aliquis ex discipulis adfuit, & non solus Petrus: quod etiam Jansenium non improbasse visum est. Quis vero etiam tam audax fuerit, ut reliquos Apostolos didrachina nondum solvisse dicat? Quod si solverunt omnes praeter Petrum,

B

non

non opus fuit, ut Dominus præter Petrum pro ullo solveret, Observandum tandem & hoc est omnibus, quod, quorum certam rationem Scriptura non reddit, certam earum dare nemo possit.

§. 6. *Quarto quærent; Quare Christus miraculam potius facere, quam ex loculis, in quos, quæ mulieres religiosæ & alii in necessarios usus suppeditabant, conjiciebantur, tributum solvere voluerit? Hieronymus hanc rationem reddit, quod Christus bona pauperum in tributum vetere noluerit. Quam a paucis probari asserit h. l. Maldonatus. Rationem quoque non invalidam subjungit; Nam quæ in loculis erant, ad omnia necessaria mittebantur: at tributum solvere, quando alias Christus volebat, unum erat ex necessariis. Aliam rationem ex Chrysostomo & Euthymio idem recenset, ita Christum solvere tributum voluisse, ut nec publicanos offenderet nec suum perderet privilegium, dum non ex suo, sed ex invento solveret. Non parum placet hæc ratio Maldonato. Sed sine ulla, quam quidem videam, ratione. Quomodo enim Dominus non ex suo numeravit tributum, si ex invento? Num ergo inventum non erat ipse? Sane quando quis invento tantum juris acquirit, ut possit inde debitum tributum solvere, negare nemo poterit, quod proprietatem & dominium in eodem acquisiverit. Et si stater inventum fuit, non suum, respectu Christi; quid de pisce dicemus, in cujus ore stater inventus est? Num hic quoque inventum aliquod fuit, non proprietas? Quod si piscis fuit proprietas; ut quid non stater in ore ejus? Porro quodam fuit privilegium, quod Christus perdere noluit? Nos sane nullum Christi hic privilegium agnoscimus; sed dominium. Nonne enim dominium est, quod liberat Filios Regum à tributo? Sane: nam Filii Regum jam sunt Domini: licet regnum non administrant. Nec Dominus aliquod tantum sibi privilegium arrogare voluit, sed verissimum dominium, quod ipse Deus habet super omnia. Sed & ipsi Maldonato hætenus placuit isthæc ratio, ut subjecerit; *Quamquam ego veram suspicor esse rationem, quod tunc alii discipuli, qui loculos gestabant, non adessent, & cum nollet publicanos**

nos

nos offendere, ad solvendum tributum miraculum fecerit. Suspicio hæc, quod discipuli, qui oculos gestabant, non adfuerint, nihil offendit. Sed si utique adfuerint, non tam diu procul dubio, nec tam procul adfuerunt, ut expectari adventus eorum non poterit, si Christus expectare voluisset, & paulisper morari exactores. Nam venerunt exactores, antequam Christus cum suis discipulis de primatu loqueretur in regno Cælorum. Atqui cum discipulis in iisdem ædibus de primatu hoc egit, mox, postquam ex itinere venit, & domum ingressus est: quod ex his verbis Marci IX. v. 33. *Et venit in Capernaum, & quum in domo esset, interrogavit eos; Quid in via inter vos disceptastis?* manifestum esse puto. Oportet itaque discipulos reliquos non procul, & non diu abfuisse. Et quis scit, annon citius adfuerint, aut tam cito, quam Petrus a mari reversus est? Ergo non multum tribuimus huic Maldonati rationi. Probari potius debuisset ratio Chrysostomi & Euthymii, Maldonato, quam improbavit. Et hæc est; Christum ostendere voluisse, se etiam si tributum solveret, & terræ & maris Dominum esse, quandoquidem ex mari ipse tributum acciperet. Nos hanc rationem, tanquam optimam probamus. Nec dubitamus, quin Petrus exactores secum ad mare duxerit, & miraculi Spectatores fecerit. Nimirum Christus illorum infirmitatem, aliorumque hominum, offendere noluit, tributum non solvendo: ad cognitionem tamen majorem de se deducere voluit, ostendendo, se in mare quoque possidere Dominium; si quo modo discerent, non ipsum ex necessitate infirmitatis suæ tributum solvere, sed quia spontanea sui humiliatione legibus, quibus homines obeliantur, se legum Dominus subjecisset.

§. 7. Quinta succedit *Quæstio*; Num Christus Scaterem in ore piscis creaverit verbo suo; an præscientia sua præcognoverit tantum; & sua omnipotentia piscem bano Petri affixerit? B. Hieronymus dubitat. Cærum est, quod argumentum Divinitatis Christi sufficientissimum sint, omniscientia & omnipotentia ejus. Utriusque

actus cum manifestissimus sit in hoc negotio, non dubium esse debet, quin sufficissent, si soli fuissent. Itaque non reprehendendus est *D. Humnius*, quasi argumentum ex factis Domini pro Domino sumendum penitus enervasset, quando scripsit; *Si ad absolutam Dei omnipotentiam confugiamus, cui scimus non esse impossibile omne verbum potuit ipse talem monetam vel de nove condere, & fundere; aut fieri potuit, ut numisma illud quocunque tandem modo in aquam illapsum deglutiretur a pisce, idque nutu Christi, qui etiam maris est Dominus ut re ipsa comprobavit. Quemadmodum Dei nutu Balena seu cete deglutivit Jonam, & eundem rursus in littus jubente Domino evomuit; Et hoc posterius priori est verisimilius.* Interim prius creasse Christum Staterem in ore piscis longe videtur probabilius. Non dubito, quin Dominus voluerit ex suo tributum solvere, hoc est ex eo, de quo ipsi inter homines conversanti nemo jure movere litem posset, ullo modo & casu. At certe si qui staterem amisit, cognovisset in ore piscis in ventum esse, movere litem juxta legem saltem Mosaicam potuisset. Quandoquidem itaque Domino miraculum hoc facere placuit, existimo observare istud voluisse. Præterea non video, quandoquidem Christus miraculum in signe facere voluit, quare non optime & perfectissime facere voluerit. Perfectius autem & excellentius fuisset, si non tantum inveniri & deglutiri à pisce staterem fecit, & in ore etiam ejus creavit, extra controversiam positum puto. Sic in aliis multis miraculis Christus se creatorem probavit; ut, quando panes creatoria virtute auxit, Matth. XIV. & XV. non aliunde omnipotenter adduxit; quando ibidem virtute creatoria restituit & reparavit in visu cæcorum, & membris claudorum, atque in corporibus ægrotorum mortuorumque; quæ illis deerant. *Maldonaro* hoc quoque videtur probabilius. Sed rationem addit hanc; *Quia non solent pisces, si quando staterem aut aliam pecuniam deglutiant, eam in ore habere, sed in ventre. Itaque ille piscis, si staterem illum ipse accepisset, non in ore sed in ventre habuisset.* Quæ ratio parum est valida. Nam qui dicunt, quod piscis deglutiverit staterem

staterem, dicunt hoc etiam, ut ex *D. Hunnio* apparet supra, quod Dominus piscem ad deglutendum paraverit. Ubi non respiciendum ad id, quod natura alias suggerit, sed quid qui deglutire iussit, voluerit. Nam alioqui etiam piscis, atque alia animalia, quando in ore aliquid sentiunt, in ventrem deglutunt. Ergo si naturæ instinctum res secuta fuisset, postquam Christus staterem in ore piscis creavit, sine dubio piscis eum deglutivisset. Sed qui supra naturam in ore creavit, supra etiam naturam, ut in ore retineretur, fecit.

§. 8. Quæri etiam distincte posset, quid didrachma & stater fuerint: sed quia in principali quæstione commode & sufficienter de iis agi potest, ad ipsam VI. principalem quæstionem accedimus. Illa vero hæc est: *Cujusmodi fuerint Didrachma, quæ a Christo exactores exegerint, & de quibus Christus multa cum Petro collocutus sit tantemque solverit?* Didrachmum ratione nominis ignotum non est: duas nimirum drachmas valens. Sed si Hebræorum aliorumque populorum monetas contuleris, non adeo certum est, quid valuerit. *Maldonatus* in h. l. *Didrachmum*, inquit, *argenteæ monetæ genus erat, idem prorsus valens, atque duo Hispanica regalia, duo Italici Julii, decem solidi Gallici hoc quidem tempore.* Nam regale Hispanicum drachmam unam argenti pendidit. *Didrachmum duas, ut nomen indicat, drachmas continebat, sicut tridrachmum tres, tetradrachmum quatuor, id est siclum Hebraicum. Siclus enim Hebræorum tantum pendebat, quantum quatuor Hispanica Regalia, & quantum Francus Gallicus, quem Henricus III. bis annis cudidit. Est hæc sententia plerorumque.* *Lyranus* in collatione ad monetam Gallicam dissentit, post alios refutatus etiam propterea a *Maldonato* b. l. qui, ut diximus scribit tetradrachmum id est quatuor drachma siclum efficiebant; unde sequitur, didrachmum, id est, duas drachmas dimidium sicli effecisse, quod singuli Judæi majores viginti singulis annis pendere jubentur. Ex eo autem *Exodi* loco (cap. XXX. vers. 13.) *Lymni* opinio a multis refutata aperte convincitur. Putat enim didrachmum solidum fuisse Gallicum, id est, duodecim, ut ipse vocat, parvos Turonicos; Cum *Moyse* dicat, siclum viginti obolos habuisse.

Constat autem obolum unum idem fuisse, atque solidum Gallicum. Nam ut diximus, ipse pondere certum est, Francum unum siclum pendisse, sicut quatuor Hispanica Regalia & Francum viginti solidos sicut siclum viginti obolos habere. Itaque didrachmum, quod Lyranus unum tantum solidum habuisse putat, decem solidos habebat. Hanc suam sententiam cum Budæo lib. de asse, didrachma septem solidos tantum valuisse, scripsit, sic conciliat, quod tempore Budæi Hispanicum Regale, quod drachma argenti est, tribus solidis cum semisse æstimatum sit, suo autem (h.e. Maldonati) tempore, quinque. In comparatione autem ad monetam Hebraicam aliud planeprehenditur in LXX. Interpretibus. Hi namque Exodi XXX. vers. 13. Siclum sacrum vertunt διδραχμον, atque adeo duas tantum illi dederunt drachmas. Verum Lightfootus conciliat, quod quemadmodum siclus communis vocatus sit διδραχμων, sic illis placuerit siclum sacrum vocare διδραχμων. Septuaginta inquit, quidem interpretes in Exod. XXX. v. 13. ημισυ τῶ διδραχμῶν reddunt, ast insuper hoc addentes, ὃ ἑσικατὰ τὸ διδραχμων τὸ ἅγιον. Esto; totus siclus fuit διδραχμων ἅγιον: Hemisiclus tunc esto διδραχμων δημοσίον. Prolixius autem de hoc agit Lodovicus de Dieu Appendic. ad Evang. Matth. cap. XVII. Drachmam, inquit, Syrus vertit ἡμιδραχμων duo ἡμιδραχμων. Est autem apud Magistros ἡμιδραχμων quarta pars τῶ ἑσικῶν sive ἡρα sicli sacri. Adeo ut duo ἡμιδραχμων sive διδραχμων dimidium sicli sanctuarii, quantum quisque Israelitarum ex lege pendeat Deo Exodi XXX. v. 13. Ubi tamen non dissimulandum, non medium, sed integrum siclum sanctuarii vocari διδραχμων LXX. Interpretibus, &c. Quo circa altero plus ejus, quod dari solebat Deo, dederunt Cæsari, sic hic apud Mattheum tantundem valet διδραχμων, quantum ibi apud LXX. Seniores. Negat id Josephus de Captivitate Judaica. lib. 7. c. 26. Ubi in alteram sententiam de Vespasiano his verbis ait: Φέρον δὲ τοῖς ὀπῶ ἡρα τὸν ἑσικῶν ἐπέταλτο, δύο δραχμῶν ἑκάστον κελύσας ἀνὰ πᾶν ἔτος εἰς τὸ καπετωλίον φέρον, ὡς περὶ πρότερον εἰς τὸν ἐν Ἱεροσολύμοις νεῶν συνιστάειν. Tributum autem Judæis ubicunque degerent, iudicavit, duas drachmas iussis singulis Capitolium quotannis confer-

re,

re, sicut ante hac Hierosolymitano templo pendebant. Dicendum itaque ambiguum esse τὸ δίδραχμον, dicitur non tantum de siclo Communi, sed etiam de sacro. De Communi proprie, quippe qui dimidium existens sacri, duo ⲛⲟⲩ, duas drachmas, vel quod idem, duo ⲓⲛⲁⲣⲓⲛⲓ duos denarios comprehendebat. Atque illud esse δίδραχμον apud Matthæum. De sacro autem, cur ⲉⲩ quomodo a LXX. Senioribus usurpetur, non adeo liquet. Quippe qui ⲧⲉⲧⲣⲁⲃⲣⲁϭⲟⲩ melius, quam δίδραχμον vocaretur; quatuor enim ⲛⲟⲩ Drachmas, sive ⲓⲛⲁⲣⲓⲛⲓ denarios ipsum continere, non tantum ex Communi Hebræorum sententia constat (vide Aruch in voce ⲥⲣⲗⲉ ⲉⲩ Theobi Eliæ in ⲛⲟⲩ) sed ⲉⲩ Josephus lib. 3. cap. 9. Antiquit. Judaic. id confirmat, ὁ δὲ σίκλος, inquit, νόμισμα ἱεραῖον ὡς ἀττικὰς δέχεται δραχμὰς ἑξήσασσας. Hinc ⲉⲩ quinquaginta sicli, quæ Levit. XXVII. v. 3. æstimatorio erat maris voto Deo consecrati, dicuntur apud Philonem de voti satisfactione valuisse δραχμὰς διακοσίας νομίσματα ⲉⲩ ὀλαργυρία drachmas ducentas e solido argento. Si ducentæ drachmæ valent 50. siclos, ergo quatuor drachmæ singulos. Cur ergo hic siclus δίδραχμον vocatur? Non aliam conjectare causam possum, quam quia communis siclus constabat drachmis duabus, siclum in genere vocatum fuisse translatum, ⲉⲩ si is quatuor constaret. Æthiopicum Evangelium Matthæi δίδραχμον, accepit pro Denario, h. e. drachma. Ubi Ludovicus de Dieu estimat, sum fuisse hoc ex Matth. XXII. Ubi Numisma census vocatur denarius. Sed nullius, inquit, momenti est. *Et si enim duobus denariis absolveretur census, recte tamen numisma census dicitur fuisse denarius, quia ea moneta erat, quæ in censu solvendo adhibebatur.* Idem miratur, quod Evangelium Hebræum Matthæi utriusque editionis pro didrachma habeat ⲓⲛⲁⲣⲓⲛⲓ quod drachma unam denotat. Theophylactus & alii putarunt didrachmum facere quinque siclos sacros.

§. 9. *Stater quantum valuerit, magis quidem certum est Autoribus, si verbum spectaveris; æque tamen incertum si rem consideres. Nam communis in hoc videtur consensus esse, quod stater duo δίδραχμα fecerit. Sumunt ex hoc, quod Christus iusse-*
rit

rit Petrum, ut pro se & Petro daret staterem. Ubi sine dubio voluerit plus non dari, quam quantum duo deberent viri. Jam vero singulos viros unum *διδραχμον* debuisse, & solvisse. Ut adeo, quod dictum, stater duo *διδραχμαι* præcise exæquaverit. Verum enim vero, ut in hoc consentiant Autores; nihilominus omnis diffensus de *διδράχμοις*, in hanc vocem simul influit. Si namque cum LXX. Interpretibus *διδραχμον* feceris siclum sacrum, stater erunt duo sicli sacri. Si cum Æthiopico *διδραχμον* dixeris denarium; Stater efficiet duos denarios. Si cum plerisque didrachmum fuerit tibi siclus communis; Stater erit siclus sanctuarii. Si cum Chrysofomo, Theophylasto & aliis didrachmum putaveris esse quinque siclos sacros, stater faciet decem siclos. Et sic porro si in aliorum populorum monetas didrachma & staterem convertere conabimur? Eorum sententias, qui apud Theohyl. vel pro margarita, vel pro tributo, vel pro quarta parte numismatis accipiunt, non probatum iri puto.

§. 10. Equidem in hac re non parum obscura iudicium mihi temere non sumam de doctissimis viris, non tantum quos nominavi, sed quos non nominavi etiam, qui plures: dicam tamen, quid mihi videatur. *Primo*; nisi ipse fallor, falluntur doctissimi plurimi in sua de סוסימ Susim Hebræorum sententia, quando eos simpliciter idem cum drachmis etiam ratione valoris esse volunt. Doctiorum hic esto iudicium. Ego namque invenio, quod, ut distincti fuerunt sicli, sic distincti etiam fuerint סוסימ Susim; perpetuum autem hoc fuerit, ut quilibet siclorum haberet quatuor Susim, sive esset siclus sacer, sive civilis, sive magnus, sive parvus. Siclum sacrum habuisse suos Susim, certum est: Qui fuerunt Susim sacri. Atqui fuisse סוסימ non minus certum est. Nam Tractat. *Keruboth* cap. V. Mischn. 8. scriptum est; *Et vasa quinquaginta Susorum*. Ubi Gemara fol. 65. 2. *Dixit Abai*, *hi sunt quinquaginta Susim פשוט* simplices: Ubi R. Salomo annotat; *Susi simplices sunt susi provinciae* (h. e. provinciales seu Politici) *qui habent octavam partem (argenti,) quod est in Susim Tyris* (qui iidem

iidem sunt sacri) Nam omne argentum provinciae habet unam partem octavam de argento Tyrio: Sicut supra diximus, Siclus provinciae est dimidius Susus, qui est octava pars sicli sacri.) Sic ibid. cap. VI. Mischn. 5. scribitur: Qui elocet filiam suam simpliciter, non diminuet (dotem ejus) infra quinquaginta Susim. Ubi Iom Tob; Expositum est in Gemara, quod sit argentum provinciale. Cenfer ibid. R. Salomonem. Porro tractat. Baba Batbra cap. X. Mischn. 2. ita habetur; si scriptum fuerit (in obligatione:) Susim centum, qui faciunt siclos viginti, non debebuntur illi nisi viginti (sicli.) Sin; Susim centum, qui faciunt siclos triginta, non debetur illi, nisi libra. Ubi Glossa R. Salomonis; si scriptum fuerit in ea (scil. obligatione mutuo dantis,) Susim centum, qui faciunt viginti siclos, mutuo accepit N. ab N. Tum etiam si centum Susim alias faciunt viginti quinque (siclos,) tamen non debetur mutuo danti, nisi libra octaginta Susorum. Nam manus Domini obligationis succumbit. Et contra exigentem a proximo suo valet exceptio, quod forte sic explicanda sit (obligatio;) Susim centum minuri & deficientes, qui non valent nisi viginti siclos. Et ad vesba; Sin Susim centum, qui faciunt triginta siclos, ita habet; Non debetur illi nisi libra centum Susorum. Potest enim ita exponi; Susim centum, qui faciunt triginta siclos leves, qui non faciunt, nisi viginti quinque siclos (bonos,) Conf. Bartenoram ad h. l. Hic habemus contractus civiles, in quibus usitati erant sicli civiles. Et praeterea juxta Gemaristas & Glossatores; Sicli qui in verbis Rabbinorum (Mischnicis) occurrunt, sunt sicli provinciales. Atqui nihilominus horum siclorum quilibet habet quatuor Susim. Praeterea habemus hic siclos graves, & siclos leves; Susim graves, & Susim leves. Et Susim leves quinque siclos faciunt singulos. Contra sicli leves singuli Susim bonos ternos cum triente continent. Sicli autem boni singuli quaternos Susim bonos. Itaque verum quidem est, quod siclus provincialis valuerit tantum duos Susim sacros: in argento autem tantum habuerit octavam partem sicli sacri, reliquas septem partes in aere. Interim tam siclus politicus, quam siclus sacer habebat suos quatuor Susim, qui

C

viginti

viginti quatuor obolos habebant omnes, singuli sex. Quin verisimile mihi sit, quod pondus unum idemque plane fuerit utriusque sicii, tum sacri, tum profani; nisi quod materia ex qua discrimen faciebat. Nam sicii sacri ex puro erant argento, cum in siclo profano seu civili non, esset ex argento nisi pars octava, reliquis septem ex ære existentibus. Et hæc quoque ratio videtur, quod siclus Tyrius & sacer Hebræorum plane conveniebant. Nam & Tyrius ex puro argento fuit. Habeo vero etiam hic consentientem *Rambamum* tract. *Bechor.* cap. VIII. *Misch.* 6. ubi inquit; *Omnia hæc, quæ hic commemorantur, sunt argentum Legis: quæ vero in Thalmud. e. g. de dotibus mulierum & multis habentur, sunt argentum provinciale, b. e. quod habent idem æstimationis eum Darkemonim monetæ Hierosolymitanæ, qui fuerunt octava ex parte ex argento, cum septem partes essent ex ære. Et hic etiam est traditio in manu mea, a patre meo, qui accepit a Præceptore suo p. m.*

§. II. Jam, *Secundo* quod collationem ad monetas aliorum populorum attinet, ipsi Hebræis ignotum est, quodnam pondus verum siclorum fuerit; ad traditiones valde incertas decurrunt. Audiamus *Rambamum* ad *Tractat. Bechoroth* cap. VII. *Misch.* 6. *Pridem, inquit, exposuimus aliquoties, quod siclum, cujus in lege fit mentio, Deus benedictus vocaverit הַפֶּסֶל siclum. Idem vero dicitur etiam כֶּסֶף argenteus; quemadmodum dicitur: Quinquaginta argentei & centum argentei. Iterumque dicitur; Argentum triginta sicli? Caterum fuit pondus ejus 24. Darkemonim; Pondus autem Darkemon 16. grana. Atque hæc ipsa sententia Talmudis, de qua dubitandum non est. Porro Traditio est in manibus nostris, a Patre meo, Domino meo, p. m. qui accepit a Patre suo, ab avo suo, alter ab altero p. m. quod granum hoc, quo existimant pondus hoc, sit granum bordei. Cuius tamen rei ego nullam scio causam. Præterea ex iis, quæ paulo ante dicta sunt, patet, quod ne ipsæ quidem monetæ Hebræorum ejusdem ponderis fuerint. Erat namque præter distinctionem sicli in sacrum & profanum, qui ratione materiæ distincti erant, ut ille ex puro argento esset, hic octavam tantum partem argenti habe.*

haberet, adhuc scili distinctio alia, tum Ecclesiastici, tum Politici, in gravem seu bonum, & in levem seu deficientem; quorum ille 384. grana, hic grana 320. habebat. Sic Sufim erant graves seu boni, qui 96. grana, & leves seu deficientes, qui tantum grana 80. pendebant. Sicli graves & Sifim graves, si Hebræis credimus, facti & constituti sunt a sapientibus, sub templo secundo; leviores ab ipso Mose traditi. Cujus rei causa nulla inventa est ab iisdem, nec forte invenietur, nisi hæc, quod Mosis sicli & Sufim purius argentum habuerint, adeo, ut, sub templo secundo, sicli grana 384. tantum argenti purissimi habuerint, quantum tempore Mosis habuerunt grana 320. & Susorum sub secundo templo grana 96. tantum, quantum Susorum Mosaicorum grana 30. Verosimile namque est, quod sub templo secundo ars cudendi argenti purissimi sine additamento aris, quam Mosaica & sequentia, usque ad Captivitatem Babylonicam tempora habuerunt amissa sit. Itaque sapientes sub templo secundo, cum nihil de quantitate argenti purissimi diminutum vellent, ne a Mosaica traditione discessisse viderentur, maluerunt siclos & Susos augere. Nec credere potest, quod homines alioqui traditionum observantissimi, in siclis ipsis sacris aliquid discriminis & mutationis introducturi fuissent, nisi deprehendissent, non tam esse mutationem, quam exæquationem.

§. 12. *R. Salomo* comparationem instituit siclorum & Denariorum, cum aureis nummis sui seculi, dixitque, denarium idem fuisse atque aureum. Unde cum siclus quatuor habuerit denarios, consequitur, siclum valuisse quatuor nummos aureos. Sed corrigit eum *Moses Nachmanides* ad Exod. XXX. vers. 13. Verba hujus translata adscribam. *Scriptis*, inquit, *Raschi*, quod sicli pondus sint quatuor aurei qui faciunt semunciam, juxta justum pondus Coloniae. Nimirum invenit *Rab expressum in Gemara*, quod siclus quatuor habeat denarios. Traditione autem edoctus est, de pondere denariorum, quod æquale esset ponderi aureorum. Sic namque scripsit in glossa suo ad Gemaram tractatus *Baba Kamma*; Denarii pondus

est aureus, & sic vocant Constantinopoli aureum denarium. Quæ omnia quidem sunt verissima. Verum enimvero accepit Rab. de aureis, qui inventi sunt in ipsius seculo, & in seculo nostro, quorum pondus exæquat semunciam, ut commemoravit. Quod faciendum non est. Nam Reges gentium diminuere aureos. Pridem scriptum invenimus in verbis Autoris Constitutionum Ignarum, & Geonim priorum, quod Denarius, cujus per totum Talmud mentio fit, sit Denarius Sebesebdenag, qui denarium Arabicum sexta parte excedit. Itaque juxta quantitates, quæ in verbis eorum inveniuntur, denarii, de quibus Talmud, majores sunt, quam aurei, qui inveniebantur & usuarii erant tempore illius (Raschi) tertia prope parte. Ut scilus habuerit tres partes quartæ unciæ juxta pondus terræ hujus, quæ eadem est cum unciæ, quam Rab. p. m. commemoravit.

§. 13. Siclos sacros cum communiter comparent ratione valoris, dicantque, sacrum habuisse quatuor denarios, profanum duos: id etiam in dubium vocat Moses Nachmanides ad Exodi 30. v. 13. Scito, inquit, quod sicli legis sint ejusmodi sicli, quorum singuli sicli habeant quatuor denarios: sed siclus, qui in verbis sapientum (Talmudicorum) memoratur, e. g. quando legimus siclum mutuo dedisti mihi, qui exæquat Sela: Sela mutuo dedi tibi, qui exæquat siclum, habent, (tantum) duos denarios, h. e. dimidium sicli sacri. Cujus rei ratio est, inde, quod populus siclos vocaverit dimidios istos siclos, quorum annis (templo) pendeat. Id quod similiter in usum venit stylo sapientum in Mischna. Atque inde factum, ut aliquis diceret proximo suo, siclum mutuo dedisti mihi; q. d. pondus quod Israëlitarum pendunt (templo.) Factum tamen esse potest, ut templi secundi tempore cuderint monetam argenteam duorum denariorum, ut commoda esset, quæ daretur Exactori sancti Thesauri, ne indigerent Collybio: quam monetam vocaverint siclum autem Moysi, qui est siclus Legis, vocaverint Sela, juxta Targum. Equidem est, qui dicit, quod ratio inde sumenda, quod dixerint, (sapientes:) Libra sancta gemina fuit. Atque sic (geminas) fuisse quasunque monetas: quod verum non est.

§. 14. Cum se ita res habeat, apparet, quam difficile & laboriosum,

riofum fit, monetas istas Judaicas in monetas aliorum populorum transmutare. Nos certe hic laborem istum non suscipimus. Observamus *Tertio*, quod ad nostrum institutum magis pertinet, Comporationem cum drachmis Atticorum. Habet noster textus *διδραχμος*; habent LXX. Interpretes. Invenimus duas drachmas vocari a Josepho dimidium siclum sacrum, qui quotannis in usum templi colligebatur. Legimus, Philonem unicuique siclo sacro dare quatuor drachinas. Repetantur enim hic, quæ supra ex Lightfooto & Lud. de Dieu adduximus. Conciliatio potissima Josephi cum LXX. fuit, quod quum siclus vulgaris duas tantum drachmas habuerit, & inde illi *διδραχμος* nomen datum, mox nomen ad siclum sacrum translatum sit. Sed ista conciliatio fundamentum nimis incertum habet. Supponit namque, quod tempore LXX. Interpretum siclus communis jam appellatus fuerit *διδραχμων*. At unde hoc probabitur. Potius dicendum videtur, quod LXX. Interpretes, qui omnium maxime, & primi forte monetas & alia Judæis peculiaria consuetudinibus Græcorum conferre coacti sunt, deprehenderint, siclum sacrum accedere proxime ad drachmas duas Atticas. Quid ergo, si hinc dixerimus nomen ad communes siclos translatum quemadmodum nomen siclorum a sacris ad profanos venit? Sane hoc longe nobis videtur probabilius. Et commodissime maxime factum est, si siclorum communium seu profanorum pondus exacte idem fuit, cum pondere siclorum sacrorum: quod nobis ex fundamentis Talmudicis, quæ supra produximus, magis probatur. Nam tum, si pondus respexerimus, tam vere siclus Politicus erat *διδραχμων*, quam siclus Ecclesiasticus. Interim quando non ad pondus, sed ad valorem communiter in contractibus & permutationibus receptum, spectaverimus, dimidius siclus sacer seu Ecclesiasticus, qui ratione ponderis una erat *δραχμή*, valebat duas drachmas politicas. Integer autem siclus sacer valebat quatuor drachmas politicas. Atque *διδραχμων* sacrum, ratione ponderis sic dictum, erat *τετραδραχμων* seu

seu *τέτραχμον* politicum ratione valoris. Unde recte dixit Philo, quinquaginta sicos maris per votum Deo consecrati fuisse *δραχμάς διακοσίας* drachmas ducentas, sed *νομίσματα ὀλαργύρια*, numismatis pure argentei, cujusmodi fuerunt sici sacri, non autem in pondere, i. e. valuisse tantum in puro argento, quantum ducentæ drachmæ in pondere argenti non puri. Recte etiam Josephus Antiquit. Jud. lib. 3. cap. 9. de sico sacro loquens, ait, quod fuerit moneta Hebræorum continens quatuor drachmas Atticas in valore, quem drachmæ quatuor Atticæ habebant, in pondere siclorum communium. Idem etiam recte semisiclum sacrum a Vespasiano impositum, vocavit *δύο δραχμάς*, duas drachmas, respiciendo valorem, qui cum *διδράχμῳ* politico idem erat. Forte etiam hoc accessit, quod drachmæ atticæ cum drachmis vulgaris monetæ Judaicæ tempore Philonis & Josephi coinciderint.

§. 15. De staterem *Quarto* observamus, quod non possit esse idem in nostro loco cum *אִשְׁתֵּרָא* *Isthera*, quam staterem Lexicographi vocant. Nam invenimus in Talmude, quod *Isthera* ista fuerit octava pars monetæ Tyriæ, quæ fuit *ὀλαργύριον*, ex puro argento: Ut dimidium etiam tantum Sufi pondus habuerit. Non itaque dici potest, quod ratione ponderis idem fuerit cum sico profano, & continuerit quatuor Sufim, quos drachmas fuisse putant: atque adeo pependisse quatuor drachas, sicut stater Atticus. Per errorem dici eum staterem puto, vel ob affinitatem vocabuli, vel quia R. Salomo eum dicit siclum provinciale, seu profanum. Quod R. Salomo tamen non dixit, nisi in respectu ad argenteum, de quo tantum *Isthera*, quantum siclus provincialis habebat. Puto namque id dicere voluisse, quod habetur in *Gemara Kidduschim* fol. 11. 2. *Noli, dicere; Cujusmodi siclus est? Ubi-que quatuor suforum (Tyriorum) sed (dic) quid est siclus? dimidium Sufi (Tyrii): quem faciunt homines, qui dimidium Sufi vocant Isthera.* Ex hi homines octavam partem sicli sacri vocant *Isthera*; non autem siclum ipsum, quem faciunt. Præterea valde dubium

bium est, unum Isthera sit factum ex stater; malim ex Græco ἀστῆρ, ἀστῆρ, deductum. Et sane sunt, qui Asthira legunt non Isthera; quibus assentire malo, sive quod moneta figuram stellæ habuit, quæ dimidium Susi valuerit, sive ratio alia fuit. Cæterum staterem Atticum quatuor continuissè drachmas, in Controversiam non voco. Sed in hoc sita est quæstio, quomodo stater continens tot drachmas, ad monetam Hebræorum applicandus sit? Cum de ipsis drachmis maxime res dubia sit, ut supra diximus. Staterem valuisse siclum sacrum, & duos profanos, video sententiam esse omnium ferme interpretum. Sed firmitus argumentum non video quam ex eo, quod Christus dixit; *Eum da pro me & pro te*. Nimirum Christus non voluisse, ut Petrus plus daret, quam quantum uterque deberet. At quemque illorum debuisse dimidium siclum sacrum. Ut necessarium sit, staterem duos dimidios siclos, seu duos integros profanos, h. e. unum integrum sacrum valuisse. Verum enimvero hoc argumentum pro se fecerit facile, quisquis aliter de debito Christi, quod sponte suscepit, & de Petri obligatione statuerit, atque aliam de drachmis, atque didrachmis sententiam foverit. Ita Æthiopicus, cui διδραχμῶν est denarius, dicit staterem valere duos denarios. Theophilactus & alii, quibus didrachmum est siclorum quinque sacrorum moneta, statetem dicent valere decem siclos sacros. Ut supra §. 8. jam indicavimus.

§. 16. Ut nostram, *Quinto*, de istis sententiam exponamus plenius, dicimus. *Nobis maxime probari, quod sicli apud Judæos, ut & Susi, ratione ponderis, fuerint diversi, alii quidem graviores, alii vero leviores, ita tamen, ut quilibet siclus, sive magnus, sive parvus fuerit, nihilominus habuerit suos quatuor Susos, responderintque siclis parvis Susi parvi & siclis magnis seu gravibus Susi graves.* Hoc namque nimis manifestum, & firmiter fundatum est in tractat. *Baba Barbr.* fol. 165. r. quem locum supra citavimus. Originem hujus discriminis Maimonides adscripsit sapientibus sub templo secundo; quod libenter admittimus, & adhuc nobis non displicet

cer

cet ratio, quam indicavimus, quod argentum tam purum, quam sub templo primo, & tempore Mosis, cufum est, non cuderint in monetas post captivitatem Babylonicam, amissa arte, quam Majores habuerint, usi tum laudatiori Tyria. Ubi vero quum argento aliquid additum sit, de cæteris metallis, pondus augere coacti sint. Confirmor in hoc, quod *Maimonides* ad Cap. II. *Mischn.* 4. *Schekalim*, annotat, Judæos postquam ex captivitate Babylonica ascenderunt, aliquandiu monetam Darbonoth duplorum siclorum, sacrorum habuisse; post cepisse demum siclos sacros cudere; & tandem siclos sacros dimidios, h. e. שקלים siclos ut vocat. Dicimus II. *Non invenire nos ullum fundamentum, propter quod dici possit, siclum profanum seu Politicum minus vel dimidium habuisse pondus respectu siclorum sacrorum: Ut adeo consentiamus illis, qui unum idemque pondus siclorum sacrorum & profanorum faciunt.* Non tantum movet nos hic autoritas *Rambami*, *Raschii*, quos supra in hanc rem produximus & allegavimus, sed maxime *Talmudicorum*. Nam *Rambamus* & *Raschius*, cum aliis tribuunt siclo profano septimam partem sicli sacri ex argento, & septem partes ex ære. Quomodo idem utriusque pondus fuisse oportet. *Talmudici* vero non tantum siclo sacro, qui in rebus *Scripturæ* habetur, quatuor *Sufim* assignant, sed profanis quoque suis: quod haud obscurum puto per exemplum, quod ex *Baba Bathra* adduximus. Nam non video, quare dubitandum sit, quin istic sermo sit, de siclis civilibus, cum ibi non tantum sermo sit, de dotibus sponsalitiis, in quibus, exceptis saltem pauperibus, siclum sacrum locum habere, quidam etiam ex *Rabinis* contra *Rambanum* aliosque statuunt, sed de contractibus civilibus in genere: quo de §. 9. egimus. Sententia *Mosis Nachmanides*, quam in §. 10. adduximus, mera conjactura videtur, quando scilicet putat dimidios siclos cufos esse illos, qui vulgari-ter sicli vocati, quod templo darentur, & vulgo dicerentur colligi, aut dari sicli. Certe fundamentum rei non invenimus: quæ alioqui forte non absurda foret. Nec *Nachmanides* ullum ad fert.

Con-

Contra autem Nachmanidem est, quod jam Moses Exodi XXX. v. 13. suo tempore indicat discrimen fuisse inter siclum profanum & siclum sacrum. Quid enim aliud vult, quando ibi dicit: *Dabunt dimidium sicli, in siclo sanctitatis seu sancto*: Quid opus fuit hoc dicere, si alius siclus tum non fuit nisi ille sacer, ut vocatur; Putarim itaque discrimen fuisse antiquissimum, ut in sacris ob honorem Dei & rerum sacrarum, puro uterentur auro, licet alias in civilibus monetæ ex puro auro non essent. Ita alias quoque in cultu sacro optima quæque danda & sacrificanda erant; ne quis videretur Deum defraudare velle. At discrimen, vel potius diversus vocis usus, quem indicat Nachmanides, diu post Constitutionem Mosaicam introductus fuisset. Alioqui dimidios siclos cufos esse, qui & necessarii in datione siclorum dimidiorum, ut si quis dimidium non haberet, permutare cogeretur cum collybio, non negamus, & docet tractatur Talmudicus *Scbekalim*. Dicimus III. *In materia autem discrimen fuisse, inter siclum sacrum & profanum, tantum non firmissime nobis persuademus: & ad stipulamur iis, qui dicunt, ex Hebrais maxime, quod siclus sacer ex puro & solido argento fuerit, profanus autem non nisi octavam partem argenti, reliquas septem æris habuerit.* Hæc rectissime etiam dicta est moneta provincialis, quemadmodum & nos monetam materiæ minus probæ, & quæ autoritate potius Magistratus, quam materiæ nobilitate, valet, provincialem vocare solemus, *Land-Münze*. Non video, quid Philo sibi velit, si hoc non vult, cum dicit, quod 50 sicli hominis voto consecrati faciant ducentas drachmas *ομισματων* & *δραχμης*, *moneta pure argentea*. Sane distinguit monetam in eam, quæ est pure argentea, & in eam, quæ non est pure argentea. Non etiam video, qui apud Talmudicos possit aliquis *שלי* siclus esse, ut illi loquuntur, *כליך רזוז*, *dimidium susus*, nisi materiam spectemus, quod scil. de argento dimidium Sulum tantum habuerit, reliquæ septem partes ex ære fuerint. Dicimus IV. *Omnino probabilius est, quod pondus sicli fecerit duas tantum drachmas, sive de*

D

siclo

siclo sacro, sive de profano loquamur, Ut duo Sisi una fuerint drachma: ratione valoris postmodum siclus sacer dimidius διδραχμων, & integer sacer τετραδραχμων vocatus sit; ideo quod dimidius tantum valuerit, quantum duæ drachmæ seu integer siclus provincialis, integer autem quatuor drachmas in siclis profanis, h. e. duos in tegros provinciales valore æquaverit. Sane longe probabilius est, quod siclus sacer integer & dimidius a profano denominationem aliquam accepit, quam ut profanus a sacro. Ratio est, quia in ejusmodi rebus os vulgi & consuetudo loquendi populi prævalere solet. Quis vero dubitet, quin longe frequentiores fuerint sicli provinciales, qui in Politicis contractibus usitati fuerunt, quam sacri, quorum in templo præcipue usus? Quæ etiam necessitas, ut suo semper haberent Trapezitas, a quibus populus, siclos templo soluturus, dimidios siclos aut integros sacros acciperet, non sine collybio, si sicli sacri sive integri, sive dimidii apud vulgum frequentes? Facile itaque apparet, qui factum, ut, licet siclus sacer pondus tantum haberet duarum drachmarum, eum tamen valeret duos siclos profanos, vocatus sit τετραδραχμων, & dimidius διδραχμων. Nam quando in contractu politico, in quo drachmæ provinciales usitatæ, conventum est ab emtore & venditore in quatuor drachmas, emtor autem dedit siclum sacrum, tum quatuor suas drachmas accepit venditor, & emtor dicere potuit, habes hic τετραδραχμων. Sic si conventum fuit in duas drachmas provinciales, vel διδραχμων: Emtor, si forte habuit dimidium siclum sacrum, eum dans dicere potuit, hic habes duas drachmas vel διδραχμων. Ita vulgo invaluit consuetudo, ut dimidius sacer siclus διδραχμων, integer τετραδραχμων appellaretur. Accessit alterum, quod quando dimidius siclus sacer exigebatur & colligebatur a populo, hic vero rarissime, saltem in specie, ut loqui solemus, haberet (hinc namque Collybista & Collybium, de quibus multa in tract. Schekalim) factum sine dubio est, ut διδραχμων politicum a populo exigeretur, non tantum in specie, sed etiam in obolis (confer Schekalim cap. II. Maschn. 3.) solvendum, unde mox & hic

hic usus obtinuit, ut dimidius siclus sacer vulgo diceretur *διδραχμων*. Hoc si statuerimus, non mirum erit, quare septuaginta Interpretes siclum sacrum vocaverint *διδραχμων*, duas drachmas; revera namque pondus duarum drachmarum erat: necesse autem simul habuerunt, dicere *διδραχμων ἅγιον* didrachmum sacrum, ut ab altero vulgari *διδραχμων*, quod profanum, distinguerent. Non tam promptum mihi est credere, vulgo etiam siclum sacrum fuisse nominatum *διδραχμων*, etiamsi esset revera & ratione ponderis, & ratione valoris *τετραδραχμων*, quia siclus politicus dictus sit *διδραχμων*. Qui namque factum est, ut non minus dimidius siclus sacer appellaretur *διδραχμων*? Et quam turpis hæc confusio? Jam autoritatem LXX. Interpretum, qui ipsis Talmudistis longe vetustiores, hoc in negotio contemnere non possumus. Eadem ratione factum puto, ut dimidius sacer siclus diceretur *שקל* siclus, quod fit per totum tractatum Schekalim, nimirum quod æquipolleret integro profano: & distinctionis gratia siclus sacer *שקל סלי* sela appellaretur. Vide Schekal. cap. I. Mischn. 6. & Confer Maimonidem ad cap. II. Mischn. 4. Hanc comparisonem siclorum cum drachmis si obtinuerimus, contenti sumus, & nostro instituto sufficit, nec ad alias monetas, de quibus comparatio nimis incerta & difficilis, accedimus. Perigimus potius, & dicimus V. *Quid jam de stateris sentiendum sit, in promptu erit: nimirum cum siclus sacer duas habuerit drachmas, sicut provincialis; Stater autem Atticus fecerit quatuor drachmas Atticas; Sequitur, quod apud Hebræos staterem fecerint duo sicli sacri vel quatuor provinciales.* Existimo autem, quod, licet *διδραχμων* duplex Judæis fuerit, ut hactenus dictum, Stater tamen duplex nunquam fuerit, nec *τετραδραχμων* appellatus sit. Ratio, quæ movet, hæc est: quod stater Apud Atticos integra monetæ species fuerit: sicut siclus Hebræi orum apud Hebræos. Jam Hebræi non habuerunt duas species, quæ stateris pondus haberent, aut staterem singulæ valerent; sed unicam tantum, eamque auream. Hæc moneta aurea non infrequens illis erat in provinciis etiam, dicebaturque Hebræis *דרבון* Darbon, vel *דרבון* Darbon:

kon: Utroque namque modo in Talmude legitur. Hæc moneta faciebat duos siclos sacros, atque adeo quatuor drachmas bonas, seu solidi argenti: unde optime stater Græca voce dici potuit. Nam & alia nomina monetarum argentearum ad aurum transfumebantur. Sic denarius non tantum erat argenteus, idem cum Sufo, quarta pars sicli; sed etiam aureus denarius, qui viginti argenteos valebat, & apud Talmudistas non infrequens est. Hunc Darkonem seu Darbonem in collectione siclorum ita ad mittebant, ut collectoribus didrachmorum seu dimidiorum siclorum sacrorum, omnia didrachma collecta in eos commutare, & sic Hierosolyman deportare, licuerit, ut diminueretur onus, & commode portari possent. Ita namque tractat. Schekal. cap. II. Mischn. i. *Constant siclos in Darbonorb propter onus via.* Ubi Rambamus; *Darbon continebat duos סלעים siclos sacros. Dicitur itaque, quod constari sint sicli, qui ex argento erant, in denarios hos aureos (denarius aureus etiam usurpatur pro quavis moneta aurea) ut levius esset onus eorum.* Dicimus VI. *Hujusmodi Darbonem aureum credidisse staterem, quem Christus in ore piscis creavit, & Petrus inde extraxit: διδραχμα autem a Christo exacta fuisse שקלים siclos, qui etiam Hebræis in hoc negotio dicti, quod plerunque numerarentur in siclis profanis non sine pretio permutationis (cum etiam integer siclus sacer permutatus Collybum debuerit) & siclo profano æquivalent, b. e. dimidios siclos sacros in valore, si non in specie; cujusmod. quatuor didrachma fecerunt staterem.* Quod de statere hic diximus, ipsi rei gestæ valde congruum est, & statutis Hebræorum. Rei gestæ; nam non probabile est, quod Petrus tam magnum piscem hamo extraxerit, ut monetam argenteam, quæ aliquot διδραχμα valeret, in ore suo contineret, & tamen cibum ex hamo pendentem captare, & captatum cum hamo tenere posset. Neque enim hamo tam magni capiuntur pisces. At si moneta aurea, Darbon, fuit, nemo dubitaverit, quin id fieri potuerit. Statutis vero etiam Hebræorum: Juxta quæ hac ratione nec Christus, nec Petrus ad Collybum tenebatur. Non tenebatur ratio-

ratio-

ratione monetæ, quæ optima & gratissima collectoribus, ut per mutare siclos opus non haberent. Nec tenebatur, quod in uno nummo pro duobus darentur sicli seu *διδραχμα*, nam Petro Christus donabat partem, non mutuo dabat, in quo casu nullum debetur Collybum, vi Mischn. 7. cap. 1. tract. Schek. in qua constitutum est, *Qui siclum exolvit pro paupere, aut pro vicino suo, liber est* (a Collybo:) *quod si mutuo illis dederit, tenebitur.* Petrus itaque si Darbon unum porrigens, dixit; Hoc Darbon est pro me & pro Magistro meo, qui mihi partem donavit alteram, nullum plane debebat Collybum. Ideo etiam in textu nostro nullius Collybi mentio fit, nec Christus plus Petrum dare jussit, quam præcise staterem. Posterius de didrachmis quod attinet, neminem video dissentientem. Equidem *Ludovicus de Dieu* annotavit, quod si *διδραχμα* sumerentur in eo usu, qui fuit LXX. Interpretum, notatura essent siclos sacros integros. Sed annotavit tantum, non asseruit. Non dubito, quin Matthæus, si Hebraice loqui voluisset, dicturus fuisset; *Accesserunt*, qui *לוקש* siclos accipiebant: qui sicli per totum tractatum Schekalim nihil aliud sunt, quam sicli profani, aut dimidii sicli sacri, ratione valoris: sive siclus dimidius sacer in specie daretur, sive in æquivalente cum Collybo.

§. 17. Hæc de Didrachmis hætenus, & statere. Sed jam considerandum venit, *Quid sibi velit, quod Matthæus non in singulari διδραχμων scripsit, sed in plurali διδραχμα?* Ita namque habent verba ejus: *Et accesserunt ei τὰ διδραχμα λαμβάνοντες, qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt; Magister vester nonne solvit τὰ διδραχμα?* Ubi bis habemus *διδραχμα* pluraliter. Si priore loco tantum, non posteriori, plurali usus fuisset, res facile expediri potuisset: Sed in posteriori loco difficultas major est. *Ludovicus de Dieu* ita solvere nodum conatur; *Accesserunt ad Petrum, qui accipiebant τὰ διδραχμα, in plurali, habere ratione multorum, a quibus accipiebatur, quorum unus quisque pendebat unum didrachmum. Similiter; an Præceptor vester non solvit τὰ διδραχμα? in plurali*

plurali rursus, ut non tantum Christi sed & discipulorum intelligatur. Syrus tamen intellexit secus, qui vertit, *Magister vester non daretur* דרין *duas drachmas suas? id est, τὸ διδραχμον αὐτῶν.* Alii, quos vidi, non multum curant: prætereunt enim. Verum non leve hoc esse puto. Quod *Ludovicus de Dieu* hic dicit, non videtur satisfacere. Nam 1. diversimode unam eandemque phrasin interpretatur in continuo contextu: ut priori loco multi homines, h. e. tota multitudo, quæ ad Capernaiticam collectam pertinebat, intelligatur, posteriori certi quidam homines. Atqui hoc in casu potius dicendum fuisset; *Magister vester annon solvit διδραχμα ὑμῶν, didrachma vestra?* Sic namque non amplius absolute, ut priori loco, sed de certis quibusdam personis accipi potuisset. 2. Posterioris loci interpretatio, quam de *Dieu* dat, est contra veritatem historicam. Nam *Petrus* concessit, quod illi volebant, dicens; *Eriam.* Atqui mens *Petri* sine dubio non fuit, quod *Christus* pro omnibus suis discipulis solveret. *Christus* vero etiam non solvit, nisi pro se & *Petro*; ostenditque, quod pro *Petro* solveret, ex abundanti esse. Quare illud admittere quod pro *Petro* solveret, ex abundanti esse. Quare illud admittere non possumus. Arbitror, quod *Syrus* Interpretis observaverit istud ipsum, atque ideo suffixum pronomen addiderit, *duas drachmas suas.* Sed idem *Syrus* cum pluralem numerum non capere posset, vertit, quasi esset singularis: cum tamen priori loco in hanc mentem transfulisset; qui accipiebant binas drachmas h. e. duas a quolibet viri Capite. *Piscator*, quasi desperans, credo, annotat breviter, videri sibi utroque loco legendum esse τὸ διδραχμον *didrachmum.* Arabs vero vocem mutavit, & vertit, *Tributum.*

§.18. Quod plerique negligunt Commentatores, & isti eo, quem dixi, modo aut vertunt, aut exponunt, inde mihi videtur factum, quod pro certissimo habebant, a *Christo* plus postulatum non esse in caput ipsius, sicut alias quoque a quolibet capite, quam unum didrachmum. Atqui hoc certum non est. Quid enim?

enim? si forte tempore Christi adhuc factum fuisset, quod post captivitatem Babylonicam institutum fuisse, legimus Tr. *Schekal. c. II. Misch. 4. Quum ascendissent Israelitæ ex captivitate Babylonica nomine siclorum, dederunt Darbonorb, b. e. duos siclos sacros. postea nomine siclorum, dederunt Selum, b. e. siclos sacros integros: deinde vero dederunt פְּטוּמִים dimidios siclos sacros. Quæ verba Maimonides ita interpretatur; Quum ascenderunt e captivitate (Babylonica) nomine siclorum dederunt Darbonorb, b. e. duos siclos sacros; Vult dicere, quod moneta eorum (usitata) fuerint Darbonorb (duos siclos sacros valentes,) Et tum nomine sicli dederit quilibet homo pro dimidio siclo sacro, integrum siclum sacrum, &c. Nam non alligati erant ad dimidium siclum (quod citata Mischna vult) sed potuerunt plus imponere pro necessitate temporum & templi egestate. Quid ergo? inquam: si forte tempore Christi idem factum, Et nos sane simile quid factum esse, vel ex nostro ipso loco, collata temporum historia, quam in scriptura habemus, statuimus, & infra pluribus exponemus. Ut quid enim non in litera Scripturæ manebimus, ubicunque possumus? Possumus autem hoc loco; ut explicabitur. Retinemus itaque pluralem numerum διδραχμα, & ratione formæ, nec mutamus in διδραχμων cum Piscatore & Syro, & ratione significationis, ut plura διδραχμα denotet: quæ quidem a singulis personis accepta sint, & a Christo etiam exacta. Observamus autem simul regulam, quæ etiam Hebræis in explicatione verborum recepta & usurpata est, quod quando pluralis numerus absolute positus sit, & multitudo tamen aliqua indicetur, de duobus accipiendus sit: nam si major numerus intellectus fuisset, is procul dubio additus fuisset. Exempl. habebis tract. Kerith. c. r. M. ult. sic ergo jam etiam nostro loco; Accesserunt qui bina διδραχμα accipiebant ad Petrum, & dixerunt; Magister vester nonne solvit bina didrachma? Ut sensus hic sit: accessisse ad Petrum eos, quorum pro more & officio ipsis commissio erat, ut a singulis virilibus capitibus bina didrachma exigenter & acciperent, eosdemque ad Petrum dixisse, nonne Magister vester*

ster solvere hætenus solitus est, & hac etiam vice soluturus est pro suo capite bina didrachma, quæ quilibet virilis ætatis pro suo capite pendere debet?

§. 19. Sed jam tandem etiam exponendum est, cui nam & quo nomine *didrachma* bina data fuerint; Deo ne, an Cæsari? in usum templi, an in tributum? ubi diversæ sunt Interpretum sententiæ: Omnes quidem in hoc fundatæ; quasi quodlibet virile caput unicum tantum didrachma solverit, nec plus exactum sit. *Prima est sententia Chrysostomi, Euthymii, Theophylacti*, qui statuunt didrachmum esse illam pecuniam, quæ exacta sit a ducentis septuaginta tribus illis primogenitis, qui numerum Levitarum excefferant, de quibus ita scriptura Num. III. v. 46. 47. *Quod autem ad redimendos illos ducentos septuaginta tres, qui redundant supra Levitas ex primogenitis filiorum Israelis, accipies, qui nos siclos pro quoque capite: prout est siclus sacer accipiro, viginti obolorum est siclus ille.* Hanc pecuniam existimant illi infecutis etiam temporibus a primogenitis quibusque datam esse, & hoc loco non tantum a Christo, sed etiam a Petro, qui solus ex Apostolis primogenitus fuerit exactam esse. Sententiam hanc *Theophylactus* breviter his verbis complexus est, *Deus pro primogenitis Hebræorum voluit consecrari sibi tribum Levi, viginti duo millia. Primogeniti autem chiliades viginti duæ, ducenti, & septuaginta tres. Pro his igitur, qui erant extra tribum Levi, & primogeniti erant, decrevit Deus dari didrachmum sacerdotibus, qui est quinque sicli, hoc est, ducenti oboli.* Unde, quia Dominus primogenitas erat & ipse pendebat. Hac vero de sententia *Maldonatus* ita iudicat; *Chrysostomus, Euthymius & Theophylactus, existimant, hoc fuisse tributum, quod Judæi iussi sunt Domino dare Num. III. v. 46. 47. propter eos primogenitos, quibus cæteræ tribus Leviticam excedebant. Quod ne probabile quidem est. Illud enim tributum, non nisi semel & non nisi a primogenitis, & non nisi a ducentis septuaginta tribus, solutum est, quibus tam inventa sunt reliquæ tribus Levitarum tribum superare. Et post; Chrysostomus & Euthymius respondent tributum il-*
lud

luda solis primogenitis fuisse solvendum. Petrum autem primogenitum fuisse. Quæ opinio etiam ex eo refutari potest, quod inter alios etiam Apostolos aliquos etiam primogenitos fuisse credendum est. Non inepta sunt Maldonati argumenta; nec video alios hodie illi sententiæ subscribere; quin pluribus etiam argumentis impugnari posset. Unde enim probabitur, quod uspiam apud Hebræos didrachmum fecerit quinque siclos focros? Unde, quod stater decem siclos? Unde, quod quinque sicli sacri habuerint ducentos obolos? sed nolumus prolixè refutare.

§. 20. *Sententia II.* est quod didrachmum fuerit quotannis solutum Capernaum pro portorio. Quandoquidem enim sæpius lacus Genesareth sive mare Galileæ ibi trajiciendum per annum fuerit, ne, quoties trajiceret quis, solvere aliquid cogeretur, constitutum didrachmum in annum; quo soluto, quisvis per annum liber fuerit, quotiescunque etiam trajiceret. Sententiæ hujus meminit *Calvinus* h. l. & breviter perstringit; *Erat*, inquit, *non vectigal, quod exigi seleret in trajectu, sed annum tributum Judæis impositum in singula capita.* Sane non video qua ratione sententiæ hæc se tueri possit: potius videtur mera esse conjectura, cui quicquam non tribuendum.

§. 21. Restant duæ sententiæ potissimæ, Tertia & Quarta. Tertia est, didrachma a Christo exacta esse siclum sacrum, qui tempore paschali solvendus fuerit omni masculo a viginti annis usque ad quinquaginta; primo Tabernaculo Masaico, deinde Templo Hierosolymitano: quo de in Talmude integer tractatus Schekalim dictus, habetur; & cujus sive fundamentum, sive præceptum habetur Exodi XXX. v. 12. 13. 14. cum dicitur; *Quum recensitis summam filiorum Israelis per numerandos eorum; tum dabunt quisque redempturam vitæ suæ Febovæ, numerando eos: ut non sit in eis plaga, quum numerabis eos. Hoc danto, quisquis transiit in numeratos, dimidium sicli, prout est siclus sanctus: Viginti ebolorum est hic siclus: dimidium sicli oblationem Febovæ.* *Quisquis transiit in numeratos*

E

a nato

a nato viginti annos, & supra, dabo oblationem Jeboræ. Hunc dimidium siclum vocarum esse διδραχμων, & hunc Christo pro se & Petro solutum. Multi sunt, qui huic sententiæ subscribunt: alii tamen aliis modestiores. Est ex Pontificiis quidem *Baronius* Tom. i. Ann. ad ann. 33. num. 31. Habent eam etiam ex Calvinianis *Glossa Belg.* h. l. & *Diodatus* h. l. qui existimat, sub Imperio Romano Judæos religiosos voluntario didrachma templo dedisse. *Lightfoorus* hor. Hebr. ad h. l. eam rationibus duabus confirmat. *De Heimisiclo*, inquit, annuatim penso in ararium templi hoc esse intelligendum duo suadent. 1. Ipsum vocabulum, quo census hic vocatur, διδραχμα, &c. 2. Responsio Christi satis arguit de hoc censu agi, cum se dicit esse filium istius Regis, in cujus usum penso ista exigebatur &c. Subjungit tamen; Si vero cuiquam liber hoc de tributo Romanis pensando intelligere, nos non contendimus. Adscribitur eadem hæc sententia ex veteribus *Hilario*: cuius in h. l. hæc sunt verba. Dominus didrachmum solvere postulatur: hoc enim omni Israël lex pro redemptione animæ & corporis constituerat in ministerio templi servientium. Illud, quod dicit pro redemptione animæ & corporis forte desumptum esset ex eo, quod apud *Mosen* dicitur; Ut non sit in eis plaga; nisi additum esset hoc; in ministerio templi servientiam. Forte dicere voluit; in ministerium templo servientium: quanquam nec hoc subsisteret. Contra impugnatur hæc sententia 1. Quod non fuerit tempus Paschale, quo sicli templo solvendi fuerint. 2. Nec decimus quintus dies mensis Adar, quo sicli colligi ceperunt. 3. Christus expresse de Regibus terræ Petrum quærat: atquæ deo de censu Regis terræ, h. e. Cæsaris locutus sit. 4. *Matthæus* utatur voce Romana *κένσος*, h. e. census. 5. didrachmum templi non in Capernaum, sed in templo Hierosolymitano solvendum fuerit.

§. 22. Quarta vero sententia est, quod διδραχμων hic sit intelligendum Cæsari solvendum: atque adeo Christus etiam Magistratui Politico tributum dedit. Sententia hæc est *Hieronym.*
in

in h. l. qui annotat; *Post Augustum Cæsarem Judæa facta est tributaria, & omnes censi capite ferebantur. Unde & Joseph cum Maria Cognata sua professus est in Berthelem. Rursus quoniam nutrizus erat in Nazareth, quod est oppidum Galileæ Capernaum Urbi subjacens: ex more poscunt tributa. Eandem sententiam habuit etiam Irenæus Hieronymo longe vetustior lib. V. de Hæres. cap. 24. Propter hæc, inquit, & tributa præstatis (potestatibus secundum homines:) ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servientes. Hoc autem & Dominus confirmavit, non faciens quidem, quod a Diabolo suadebatur, tributorum autem exactoribus jubens pro se & pro Petro dare tributum. Ex hac etiam sententia disputat Augustinus quæst. Evang. lib. I. q. 23. Quod dixit (Dominus) ergo liberi sunt filii; In omni regno intelligendum est liberos esse filios, id est, non esse vectigales. Multo ergo magis liberi esse debent in quolibet regno terreno filii regni illius, sub quo sunt omnia regna terræ. Subscribit huic sententiæ Maldonatus h. l. Multo, inquit, verior est Hieronymi, & Bedæ sententia, qui existimant, hoc vectigal illud esse, quod Augustus Judæis imposuit, cum iussit, ut universus orbis describeretur. Luc. II, 1. Vero similis ejus rei conjectura est, quod Vespasianus expugnatis postea Hierosolymis tantum Judæis imposuerit tributum, quantum antea templo solvebant, ut Joseph. lib. 7. de bell. Jud. cap. 26. auctor est, & est credibile, Vespasianum illud ipsum tributum, quod Augustus imperaverat, & a quo sese Judæi rebellando exemerant, illis ubicunque, ut ait Josephus, terrarum essent, reposuisse. Sequitur etiam Jansenius Harm. Evang. cap. 69. Barradius lib. 10. Harm. c. 32. Salmeron tom. 6. tr. 37. Bellarmin. etiam in hac sententia fuit in edit. in Octav. lib. 1. de Cleric. c. 28. ubi inter alia ad Matth. 17. respondet: Dico Dominum loqui de se ipso tantum; facit enim hoc argumentum: Filii Regum liberi sunt a tributis, quia nec solvunt parentibus suis, cum sint communia parentum & filiorum bona; nec aliis Regibus, quia eis non subsint; At ego filius sum primi & summi Regis, igitur nulli hominum tributum debeo. Eadem hæc est sententia nostrarium communis. D. Hunnius in h. l. Didrachma fuit*

monerā valore suo *aguans quadrantem floreni*, & solvebatur Romano Imperatori, *cujus nomine erant constituti, qui exigebant.* Conf. *Lyser.* in Harm. ad h. l. *D. Gerhard.* Tom. 6. LL. CC. §. 443. Consentunt ex Calvinianis plerique, *Calvin.* Harmon. h. l. *Aretius* in h. l. *Pellican.* in h. l. *Beza* in h. l. *Fr. Jun.* ad Tremell. Verf. Syr. *Piscat.* ad h. l. Et præfert. etiam *Pareus* ad h. l. Objicitur huic sententiæ, 1. Quod Cæsari tempore Christi non fuerit solutus nisi denarius Matth. 22. v. 19. 2. Everso demum templo didrachmum a Vespasiano Judæis impositus sit teste Josepho. l. 7. bell. Jud. c. 26. 3. Quod census Augusti Luc. II. fuerit bonorum, & semel dandus.

§. 23. Verum enimvero duarum harum sententiarum neutri Autores aduersantes sibi sufficienter refutant. Nam argumenta, quæ priori de siclis templo solutis objiciuntur, infirma sane sunt omnia. Nam ad 1. non fuisse tempus Paschatis, propter quod se non parum torquet *Lightfootus*, respondemus, sufficienter demonstratum supra ad Quæst. 1. de tempore hujus historiæ, quod omnino tempus Paschatis. Ad 2. siclum colligi ceptum a decimo quinto die mensis Adar, respondemus, verum istud esse de provincialibus urbibus, & hanc historiam post istum diem contigisse, antequam Dominus Hierosolymam ascenderet: quatuor namque septimanas ab isto die ad Pascha usque numerabant Falsa itaque est præsumtio, quasi alio tempore hæc historia accidisset. Ad 3. quod Christus Regum terræ filiorumque eorum meminit, non concludit ad onera Regum terræ tantum, sed ad quodvis onus subjectionis, quod filii non tenentur sustinere a patre impositum. Diligenter itaque argumentatio Christi observanda, quæ hæc est; Si filii Regum hujus terræ liberi sunt a cense & tributo, quod Patres eorum subditis imponunt: quanto magis ego filius Regis cælorum naturalis liber sum a quocunque cense, tributo, onere, quod ille subditis suis, hominibus imprimis, imponit, sive velit Magistratui Politico aliquid dari, sive Templo, h. e. sive in spiritualibus fuerit, sive in secularibus. Unde 4. etiam responsio ad quartum de census vocabulo Romano patet. Insuper hoc positum est in antecedente, de filiis Regum hujus seculi,
non

non in consequente de Christo, filio Dei. Nec solum positum est hoc vocabulum, sed additum, τὸ ἐλεῖν, tributum, quo etiam *Josephus* usus est de siclo, qui templo solvebatur lib. 7. B. J. cap. 26. *Quemadmodum*, inquit, prius pro templo in Hierosolymis συνετέλεον, contribuerunt. Ad 5. quod Salmeronis est, in templo Hierosolymitano tantum, non in Capernaum fuisse solutos siclos templi, respondemus, Salmeronem forte istud scripturum non fuisse, si legisset *Misch. 3. cap. 1. Schekalim: Die decimo quinto (mensis) Adar, mensæ (colligentium siclo) sunt posita in provincia (extra Hierosolymam:)* sed die vigesimo quinto demum sunt posita in sanctuario (Hierosolymis.) Si forte etiam objiciatur, in Galilæa & alibi per tributum Romanum solutos seu liberos factos a tributo Templi: nolumus cum Diodato respondere, religiosos tamen sponte dedisse, sed dicimus, esse meram conjecturam, ex eo desumptam, quod Collectores quasi libertati Christi rem permittentes dixerint, *Nonne Magister vester solvit didrachma*; Per quod vero enervatur Christi de filiis Regum dictum; quo opus non fuisset, si quisvis Judæi fuissent liberi, nec quicquam nisi sponte dedissent. Si quis pro Diodato forte allegaverit, quod in *Tract. Nedarim cap. I. Misch. 4. habetur; Viri Galilæa non agnoscunt Thrumam conclavis:* ablegandus erit ad Glossam *R. Salomonis*, ubi longe alius sensus ostenditur. Jam quod alteri sententiæ objicitur, 1. Cæsari tempore Christi non nisi denarium, solutum esse, bene solvitur, non de quantitate census, sed de moneta ejus fermone ibi esse. Sapientissime Christus petiit ostendi, cujusmodi esset moneta census, ut convinceret inde, Cæsari non dari rem divinam aut Deo consecraram, sed profanam, quæ alias ad Cæsarem pertineat, & a Cæsare originem habeat. Itaque Christus non loquitur de quanto, sed de quali. Quod 2. objicitur, everto demum templo didrachma, quod alias templo solutum, a Vespasiano, ut in Capitolium conferretur, impositum esse: id majorem sane habet speciem. Communiter autem respondent cum Maldonato supra, Vespasianum non imposuisse novum tributum, sed vetus, per rebollionem non solutum, renovasse:

Vel, extensum esse, ut, antea in Judæa tantum solutum, tunc a Judæis, ubicunque terrarum essent, solveretur. Quod num satisfaciat, dubito. Nam Josephus id vult, quod prius, templo solum, a Vespasiano in Capitolium translatum esse. Forte hoc coëgit Diodatum, ut statueret, per didrachmum ab Augusto impositum, & tempore Christi adhuc datum, liberos factos Judæos a siclis templi, ut non solvèrent, nisi qui ultro vellent. Sed hoc factum non esse, suprajam ostendimus. Nos ad hanc objectionem de tributo Vespasiani respondemus (1.) omnino novum fuisse, & prius Judæis inauditum, summeque ignominiosum: dum illud ipsum didrachmum, quod usque ad Vespasianum a Romanis Imperatoribus, stante Templo Hierosolymitano, Templo relictum, a Vespasiano post eversum Templum Jovi Capitolino donatumque est. Expresse hoc habet *Xiphelinus* in Vespasiano ex Dione, cum scribit *καὶ ἐπ' ἐκείνῃ διδραχμῶν ἐτάχθη τῆς τὰ πάτρια εἶη περιέδοντας τῷ Καπιτωλίῳ διὰ κατ' ἐπιπέδου ἀποφίεσθαι*: *Ab eodem Tito* (ut Blancus vertit) *jussi quotannis didrachmum pendere Jovi Capitolino ii, qui patrias eorum leges tuerentur.* Hoc bene nobis Josephus de B. J. lib. 7. c. 26. exponit, quod idem *διδραχμῶν* fuerit, cum eo quod olim pro templo Hierosolymitano contribuebatur: sed quando simpliciter dixit, *εἰς τὸ Καπιτώλιον, in Capitolium* delatum, videtur pepercisse famæ populi sui, quod rem Deo vero alioqui destinatam Idolo gentium dare cogerentur. Nec sine causâ hoc fecisse puto. Nam argumentum est cultus V. Testamenti plane destructi & abrogati. Alioqui Deus non permissurus fuisset, ut Idolo sibi debitum consecraretur, & a populo suo cultus Idololatricus quodammodo adjuvaretur: Cum Belsazer impune non tulerit, quod vasa templo consecrata in convivio adhibuisset: Dan. V. Sed (2.) census seu tributum quod tempore Christi datum fuerit, non tantum ex historia profana notum est, sed infallibiliter habetur *Math. XXII*, ut negari non possit. Hoc tributum impositum fuit, non loco siclorum templi, sed ad exemplum siclorum templi. Quemadmodum nimirum populus Judaicus alias liber, quasi in recognitionem, quam vocant, domini cœlestis siclos dabat: sic
in

in recognitionem domini terrestris tantundem dare debebant. Digitum in hoc intendisse videntur ipsi Pharisei, quum Matth. XXII. quæsierunt, liceret censum Cæsari dare nec ne? Nam ut ex responsione Christi, *Dare Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & Deo, quæ sunt Dei*, colligere datur, argumentum dubitanti eorum hoc fuit, quod Deo darent tanquam subditi siclos suos; cum quo non consistere posse videatur, juxta Deum se subicere per similem censum Cæsari. Tributum hoc valde exiguum videtur, ab Augusto propterea ad exemplum siclorum templi impostum, ut hoc æquius appareret Judæis, & æquiori animo ferretur. Quandoquidem enim de Tyrannide conqueri non solebant, quod tantum a Deo ipsis impostum: pro tyrannide, ab iisdem haberi non poterat, quando tantundem a Cæsare peteretur. (3) Hoc tributum seu census vetus videtur mihi plane cessasse everso templo. Ratio est, quod non impostum nec darum fuit, nisi tanquam ad incolis terræ Canaan a Cæsare subactæ: quemadmodum in aliis terris incolæ, tanquam incolæ, suum pendebant Romanis tributum. Itaque postquam Judæis urbs & terra adempta, tributum hoc illis non amplius incumbebat. Hæc causa quoque esse videtur, quare Jesephus post templum eversum non nisi tributum a Vespasiano imposti mentionem fecerit, & ab eo hoc a Vespasiano impostum distinxerit, quod Judæis, ubicunque terrarum essent, impostum scribit. Sane hoc velle videtur, quod Vespasianus novum tributum imposuerit, quod non in terra tantum Israël, ut vetus, solveretur, sed ubique terrarum Judæis penderetur, essetque non ad exemplum siclorum, sed loco eorum injunctum. Quod 3. objicitur censum Augusti Luc. II. fuisse bonorum, non capitum, & semel tantum, non quotannis, solvendum: ad id respondemus, non refutare sententiam ipsam, sed sententiæ tantum circumstantiam. Certum namque est, quod tempore Christi Matth. XXII. tributum adhuc dandum fuerit, sive fuerit unum idemque cum eo, quod Luc. II. habetur, sive diversum. Et si utique diversum fuit (de quo nolumus contendere,) orobabile tamen est, quod eodem tempore, quo descriptio bonorum facta, & census de iis sumtus, in postera tempora census capitum

annus

annuus simul indictus, & usque ad versionem templi continuatus sit.

§. 24. Cum itaque sic se res habeat, & utraque sententia cum verbis textus consistere queat: nos non videmus, quare non sit utraque conjungenda. Argumentum 1. quod suadet ex ist hoc ipso sumitur. Nam scriptura tam late accipienda est, quam late potest: quæ alias est regula bonæ interpretationis. Atqui, ut ostensum, scriptura hujus historiæ utramque istam sententiam admittit. Ergo. Addimus 2. argumentum, quod duo ista, quæ in duabus his sententiis dicuntur, alioqui per consequentiam tamen sequerentur. Nam si posueris, agi in historia de tributo Cæsaris, promtum est concludere; si filius Dei, etsi filius esset, ex hoc fundamento non voluit se liberum facere a tributo Magistratui civili pendendo: utique ex isthoc quoque fundamento a legibus & oneribus Ecclesiasticis se liberare & eximere noluit. Atqui prius est. Ergo & posterius. Ratio consequentiæ est, quia qui ejus conditionis, ut uni generi legum sit subjectus, alteri quoque subjectus erit. Si leges Ecclesiasticæ ab ipso Deo fuerint ordinatæ, major debetur illis subjectio, quam legibus humanis. Contra si posuerimus, Christum per hoc, quod Filius Dei esset, non voluisse se liberum facere a legibus Ecclesiasticis, sequitur, quod nec a legibus politicis. Fundamentum idem est: nemo namque negaverit, quod non tantum legibus Ecclesiasticis, sed & politicis obediendum sit: nec quisquam hic eximi possit, nisi ex singulari ratione, privilegio, jure; quo vero Christus uti noluit. Sed & 3. argumentum ipsa verba historiæ subministrant. Postulabant exactores non *διδραχμον* unum, sed *διδραχμα*, ad minimum duo. Atqui soli templo non solvebant duo, sed unum didrachmum. Nec Imperatori Romano plus. Quis namque crediderit, plus imposuim fuisse, cum nondum rebellassent, ab Augusto & cæteris Imperatoribus, quam, postquam rebellaverant, a Vespasiano impositum est? Literæ itaque historiæ tum demum satisfit, quando & solum templi & solum Imperatori Romano solum conjungimus, & utrumque a Christo tum postulatum, tum datum esse dicimus.

§. 25.

§. 25. Atque hæc *nostra* quoque est *sententia*; nempe, venisse exactores non tantum sicli Templo solvendi, sed & census Imperatori Tiberio dandi ad Petrum, & de utroque Siclo seu didrachmo quæsisisse, annon Dominus Jesus solveret: qui a Domino jussus, ut ejecto hamo captum piscem traheret, & inventum Staterem, quatuor *didrachma* continentem vulgaria, vel duo sacra, pro utroque, Christo & Petro, solveret. Hanc nostram sententiam declaramus. Et i. quidem annotamus, censum Imperatoris Romani non per publicanos, aut per alios Imperatoris ministros exactum aut collectum esse, sed toti populo Judæorum indictum, ut hic viritim conferret atque colligeret, atque tota census collecti summa præfecto Imperatoris aut ministris ejus, quos constitueret ad hæc rem, exhiberetur. Non videbitur hoc absurdum ei, qui consideraverit descriptionem Luc. II. factam. Hanc namque ab Augusto edictam & mandatam fuisse, Judæos tamen eam executos esse per suos *ἀρχοντας* seu principes populi, ut Imperatori nomina numerumque descriptorum, & descriptionis censum exhiberent, aut præfecto Imperatoris, ex eo constare puto, quod descriptio ex consuetudine Judæorum, qua quævis familiæ in suis civitatibus, e. g. familia Davidica Bethlehemi, convenirent. Sane ut convenirent, ab Imperatore imperatum: ut hac ratione convenirent, non nisi instituto & consuetudini ipsorum Judæorum adscribere possum. Nam sine dubio Romani de hoc conveniendi & describendi modo apud alias gentes inusitato nihil sciverunt. Quod si hoc in negotio gravissimo tantum permisissum fuit, Judæis; quanto ergo magis deinceps consuetæ annui census collectio illis relicta est; Jam existimamus, Judæorum Principes & Pontifices commodius tempus colligendi census Romani deprehendere non potuisse, quam istud ipsum tempus, quo sicli Templi colligebantur. Fieri namque tum poterat, ut sine omni majori labore & sumto collectio fieret ex parte colligentium, quippe qui alioqui siclos Templi tum Hierosolymis, tum in provincia per aliquot septimanas colligebant; & populus Judaicus assuetus erat, ut in istud tempus nummos sepone-
ret, quos templo tribueret. collectores in super siclos paschali

F

tem-

tempore ex tota provincia Hierosolymam deportabant, & Templo offerebant; sic una fidelia, quod dicitur, duos parietes dealbare poterant. Forte nemo negabit, hac commoditate Judæos in colligendo censu Romanorum usos esse: maxime cum Hierosolymis esset Præfectus Romanus, cui statim census a collectoribus allatus, dari poterat. Videtur mihi hæc fuisse occasio Pharisæis & Herodianis, Matth. XXII. quam arripuerint ad tentandum Christum circa censum Romanis dandum tempore Paschali: nimir. id ipsum tempus erat, quo ex more census dandus erat; ut, si Christus, censum dandum, negasset, per totum annum majoris scandali & periculi esse non potuerit, quam isthoc ipso tempore. Unde accusandi Christi homines nequam occasionem optimam habuissent. Forte vero etiam Judæorum Principes, qui censum Romanum inviti agnoscebant, eludere, aut populo saltem, qui libertatem suam mordicus tenebat, persuadere voluerunt, & hoc intenderunt, ut dicerent, non vere se censum dedisse, & suam libertatem amisisse, sed duplos siclos, quod olim (ut supra ex Tr. Schekal. annotavimus) Patres sui etiam fecerint, populo in usum templi collegisse, quorum partem Romani per sacrilegium ad se rapuerint. Quid? si dicamus ad hunc prætextum digitum intendisse Joh. VIII. 33. *Semen Abraham sumus, & nemini servivimus unquam.* Nam si censum Romanum pro vero subjectionis censu agnovissent, & non quodammodo eludere voluerunt, insaniverunt, dum se nunquam servivisse affirmarunt. Sunt qui putant, censum per publicanos collectum, qui non parum falluntur; longe enim aliud publicanorum officium erat. Isthæc duo si observaverimus, plana erit nostra historia. Nimirum (1.) Christus paulo ante pascha venit in Capernaum, ubi suum habebat domicilium, relicta Nazarethæ Matth. IV. v. 13. & quoniam sicli per urbes isthoc tempore ab incolis colligebantur, solvendus ibi erat siclus cum censu simul collecto. Neque enim propo, quod quidam putant, ideo a Christo exactum siclum & censum, quod Nazareth ad Capernaum pertinuerit. (2.) Collectores, qui non tantum suas mensas ponebant in urbibus, juxta cap. I. Mischn. 3. tractatus Schekalim, ut accederent ad ipsos, qui siclos dare vellent, sed

sed potestatem etiam habebant exigendi, imo pignus capiendi, juxta eundem tractatum cap. I. Mischna itidem tertia, accesserunt ad Petrum, & monuerunt per eum Christum de dandis duobus *didrachmis*: quorum unum erat revera Templo Hierosolymitano, alterum censui Romano; sive nomina collectores distinxerint, sive non distinxerint, quod utrumque jure templo cedere deberet, alterum a Romanis raperetur. (3.) Petrus, rei non ignarus, sciebat, Dominum suum promte semper numerasse *didrachma*; ideoque affirmative collectoribus interrogantibus de Domino respondit, nec Domino, qui intra domum erat, indicare dubitavit. Dominus (4.) Petro quidem, se non debere de jure quicquam, ostendit, ad vitandum tamen scandalum jubet hamum in mare jacere, cum promissione, fore, ut in ore primi extracti piscis inveniat staterem h. e. quatuor didrachma, in moneta aurea Darbon & Darkon dicta, quam dare deberet pro Domino ipso, & pro Petro. Petrus (5.) tanta tamque liberali promissione magis instigatus, suscipit Domini jussum, & fiunt, quæcunque Dominus dixerat.

§. 26. Postquam hæc ita sunt exposita, videndum nunc porro est, cujusmodi sit Domini Jesu argumentatio, pro suo immunitatis jure, quo liber, tam a siclo templi, quam a censu Romanorum. Antequam Dominus argumentetur, suæ omniscientiæ coram Petro edit specimen. Nam cum Petrus in ædes intraret, nec dum quicquam dixisset, Dominus gnarus omnium, quæ foris dicta & gesta sunt, cum nec humano more vidisset, nec audivisset, incipit de re colloquium cum Petro. En! Dominum omniscium. Interregat autem Petrum, dicitque; *Quid tibi videtur, Simon?* De jure querit potius, quam de facto. Nam de factis tentatur scientia potius, non sententia. Christus autem exquirat hic sententiam Petri. Ergo si utique aliter alicubi factum fuisset, argumentationi Christi non obstarat, quam ille hic super jus fundat. Sed tamen idem in facto apud gentes deprehendebatur. *Reges terræ, pergite Dominis, a quibus accipiunt tributa, aut censum? a filiis, non ab alienis?* Ubi extra dubium erit, quod Dominus de filiis Regum propriæ sic dictis, non metaphoricis loquatur, & per alienos non intelligat eos, qui extra regnum & subditi non sunt, sed qui ex-

tra domum, & non filii proprie sic dicti, subditi tamen. De voce *ἀλλοτρίων*, multa hic habet *Erasmus Schmid* ad h. l. si videre placuerit magis, quam nobis exscribere. Quoniam etiam Dominus non tantum census, sed etiam *τελών*, tributorum quorumcunque meminit, haud obscurum erit, quod in genere de quibusvis subditorum oneribus, quorumq; nomine veniant, loquatur. Respondet Petrus; *Ab alienis. Ergo*, infert Dominus, *liberti sunt filii*, nimirum ab omnibus ejusmodi subditorum oneribus, & quidem jure filiationis, seu propterea quod filii sunt. Antecedens hic habemus, quod hoc erit: Reges terræ de jure tributa quævis & censum ab alienis seu subditis suis, qui filii proprie dicti non sunt, tantum accipere debent; filii autem eorum proprie dicti, de jure ab omnibus ejusmodi oneribus liberi esse debent. At consequens, per Ergo, inferendum monstratur tantum per verba; *Ne scandalizemus eos*. Nam per hæc verba Dominus satis planum facit, inferendum, quod ipse de jure liber ab omnibus oneribus esse debeat, tanquam filius Regis. Ubi quando nonnulli de carne Domini cogitant, quæ ex Regis Davidis semine: enervare mihi videntur omnem argumenti vim. Nonne enim promptum fuisset excipere, antecedens loqui de Filiis Regum, qui regnent, non qui sub jugum redacti: Nam si Patres sub jugum redacti, quomodo filii liberi esse poterunt? Non itaque Filii possunt esse liberi, nisi ab omnibus, quæ Patres imponunt. Nec licebit respondere, ad domum David tamen adhuc dum pertinuisse de jure regnum mundanum. Nam non video, quomodo consistere possit, vel cum eo quod Christus censum Cæsaris tanquam justissimum approbavit Matth. XXII. Vel eum eo, quod ad Pilatum dicit, potestatem illi ex supernis datam esse Johan. XIX. Quare dicendum, quod Christus se Filium Regis cælestis, h. e. Dei Patris faciat. Quod etiam ex hoc constare potest: Non dixit Dominus Petro, cujus Regis Filius esset, ideo, quia Petrus jam habebat cognitum, essetque non necessarium ipsi exponere. At Petrus Christum agnovit pro Filio Regis cælestis, Matth. XVI. v. 16. *Tues Christus, Filius Dei viventis*. Unde nobis hoc nascitur consequens; Ergo multo magis ego, qui sum Filius Regis cælestis, & summi, Dei viventis, ut tu nosti &

Con-

Confessus es, Petre, pridem, liber sum de jure ab omnibus oneribus, quæ Pater meus subditis suis, sive angeli sint, sive homines, imponit, & nominatim quidem, quæ Judæis, meis secundum carnem consanguineis, imposuit, partim quando voluit siclos Templo dari, partim quando vult Cæsari subiectus esse, eique censum suum dare: atque sic de jure optimo, vi filiationis meæ summæ, his exactoribus tam siclum Templi, quam censum Cæsaris negare possem; sed memor sum spontaneæ meæ exinanitionis, qua me nemini scandalo, & aliis hominibus similem futurum esse, suscepi; ideo dabo ad vitandum scandalum &c. In hac argumentatione Christi nihil desideratum iri, & nihil desiderari posse confido.


§. 27. Unde jam gravissima *Piezaris puncta* ex nostra de Didrachmis a Christo solutis sententia discere possumus & debemus: præcipua saltem subjiciemus. I. *De persona Christi* habemus ex nostra historia, quod Christus non tantum homo verus sit, sed ipse etiam filius Dei naturalis & consubstantialis, æqualis Patri suo, non inferior, ut præceptis tanquam subditus ligari nequeat. Afferit Christus, filium se Regis esse. Ostendimus autem, non loqui ipsum de ea origine, juxta quam filius Davidis, Regis Judæorum omnium maximi, erat, sed de ea origine, quam habeat per generationem a Rege Regum, Deo Creatore omnium. Libertatem namque juxta carnis suæ originem ex Davide Rege prætereundere non potuit, cum Imperii Romani potestas jam confirmata esset divinitus super universam Judæam. Et ejus Regis, hoc est, Tiberii, cujus nomine census petebatur, Filius, ne quidem secundum carnem fuit; ut contra censum ejus ad jus Filii provocaret, non se censum illi debere, quod, Filium Regis, Patri suo Regi censum solvere, iniquum esset. Quare alius alicujus Regis Filium se affirmavit, ex cujus autoritate tum census Imperatoris, tum siclus Templi postulabatur. Is vero alius non fuit, nisi summus omnium Creator & Gubernator, qui omnem, qui in mundo est, Magistratum ordinavit, Rom. XIII. & Judæis eam, cujus vigore siclum petere poterant, tulit legem. Hujus se Filium Dominus dicit, utique naturalem & consubstantialem: sicut

de Regum hujus mundi filiis sine dubio naturalibus & proprie sic dictis quaesivit; *Reges terræ a quibus accipiunt tributa aut censum, a filiis, an ab alienis?* Ne quidem de filiis adoptivis hic cogitabit, qui legerit: quippe qui gratiæ debent omnia, & sub variis conditionibus adoptari possunt. Et nos sane, qui credimus, summi Regis etiam adoptivi Filii sumus; neque tamen ex nobis quisquam dicere potest aut prætere, jure a mandatis & oneribus Patris hujus nostri nos esse liberos. *Æqualis vero etiam Patri est, non inferior: nam mandatis Patris, quum dixit; Omnis anima potestatis supereminetibus subdita sit, & quando præcepit, ut omne viri caput penderet Templo Hierosolymitano, ligatus esse non vult.* Ergo oportet ipsum esse Filium, qui cum Patre mandata Patris facit, non autem mandatis Patris obstringitur. Egregium itaque hoc argumentum est, quod Jesus sit Filius Dei Patri suo æqualis. II. *De Statu Eximinationis* docet nostra historia, quod Christus non de jure, sed ex mera libertate & voluntate, juxta quod homo est, humilitatus sit. O quanta humilitas illa fuit, quæ non tantum sub Deum se submitit, sed Romano quoque Imperatori subjecit! Intolerabile etiam Judæis hoc posterius visum est: nec tamen Filius Dei ab eo abhorruit. Sed ostendit tamen, eum se esse, qui non ex juris necessitate, sed ex voluntatis libertate adeo se humiliaverit; quando ne mandatorum quidem Divinorum subditum de jure, sed Dominum eum Patre esse veravit, & tantum ut scandalum non præbendo hominibus, hominum salutem operaretur merereturque, legibus tum de Ecclesia, tum de Politia a Patre latis subiectum esse docuit. De natura Divina, secundam quam ab æterno a Patre genitus est, hoc minus mirum est. Mirum magis nostræ videtur infirmitati, quod de carne quoque, quæ in tempore demum assumpta, & secundum quam Filius factus est, idem tamen credi voluit. Caro namque fuit, a qua census & sclus exigebatur, & cujus libertatem Dominus Petro proposuit. Natura itaque illa, quæ extra personam Filii Dei serva est, in persona Filii Dei summam libertatem possidet, etiam quando ea non utitur. Et in natura eadem Filius Dei salutem nostram merendo operatus est, non tantum quando pro hominibus passus,

sus, sed etiam quando Patris sui mandatis obedivit. Assum ferat enim eam, ut in ea humilis esse posset, non quod in ea humilis esse cogeretur. Et licet hic homo quando naturæ suæ originem considerat, non possit non se Deo inferiorem agnoscere: quando tamen personæ, in quam assumpta humilis natura est, sublimitatem cogitat, non potest non de jure cum Deo æqualitatem sibi vindicare, ne personæ injuriam inferat. Vide III. *Omnium hominum debitum*. Salvator quando se jure, quod ut Filius Dei habet, exinanivit, obligatum statim se agnoscit, ut & siclum Templo, & censum Cæsari solvat, nec quenquam non solvendo scandalizer. Ergo si hominem inveneris, qui Filius Dei naturalis non est, obligatum eum divinis humanisque legibus credas. Si namque, qui Filius Dei est, quando jus filiationis quodammodo seposuit, Deo hominibusque potestatem habentibus obediens esse debeat, & revera subesse & obedire potuerit: quanto magis qui nullo gaudet jure filiationis, per naturam & personam obedire & subesse cogitur. Tune ergo, Papa Romane, non te tantum ipsum, sed & clericos tuos a Magistratibus & ipso Romano Imperatore liberos faciens, & jus Divinum jaçtitabis? Sane hoc ipso te Antichristum esse ostendis. Sed audio vociferantem *Maldonatum tuum, Inepri hic hæretici sunt, qui Romani Pontificis primatum refellunt, & Ecclesiæ immunitatem tollunt, quod Petrus tributum solverit. Nam istac quidem ratione nec Christus quidem Ecclesiæ caput esset: solvit enim tributum. At solvit, cum non debebat. Et non considerant, Petrum nunc si inter Christianos Reges in vivis esset, Ecclesiamque gubernaret, solviturum non fuisse. Quidem, Petrum non debuisse tributum, hoc modo, docuit; Videtur mihi Christus significare voluisse, nec se, nec discipulos suos tributum debuisse: se quia filius Dei erat: discipulos suos, quia ipsius familiares & domestici censebantur. Et non solum Regum filii, sed eorum etiam domestici a tributis liberi sunt* Ita ille: sed clamor est. Concedamus, Petrum, omnesque Apostolos domesticos Filii Dei fuisse. Atqui non magis Filii Dei, quam ipsius Patris celestis domestici erant. Ipse in primis Filius Dei Patris sui domesticus erat omnium dilectissimus; & magis, quam Apostoli erant Filii. Quare ergo non argumentatus est Dominus?

Reges

Reges terræ a quibus tributa & censum accipiunt? a domesticis ne, an ab extraneis? Ita manifeste & se & discipulos suos liberos ostendere potuisset. Sed hoc non fecit, quia scivit, istam libertatem de jure neminem habere posse, nisi qui Filius naturalis est. Itaque de jure divino Petrus omnesque discipuli obligati erant; & si inter Christianos Reges hodie Petrus in vivis esset, debiturus esset. Si ad privilegium gratiæ confugietur: id nobis probandum est postea supervenisse, cum hoc tempore nullum fuerit. Sin doceri non potest, ut non potest: jus urgebit perpetuum. De primatu Papæ hic disputatur, quatenus se supra Magistratus & Constitutiones Ecclesiæ datas factasque extollit: quod cætera validioribus admotis arietibus dejicitur. IV. *Magistratus* vero *Autoritas* hic non infirmo stabilitur fulcro. Nam huic Christus omnes subjicit, imo se ipsum, ubi usu juris, quod filiatio dat, se voluntario exinaniverit. Non itaque Christianorum merentur nomen, qui Magistratus autoritatem non agnoscunt, contemnunt, pedibusque conculcant. Cujusmodi novimus esse Anapaticas & his affines sectas: quarum furorem rectissime Augustana nostra Confessio pridem condemnavit, & nos cum eadem adhuc condemnamus. Neminem exceptum a jure subjectionis Magistratui debitæ docuit Dominus, nisi quem jus Filii eximeret. Ubi neminem juvat, quod Filius Dei adoptiones est, cum de eo solo, qui Filius generatione est, Dominus locutus sit. Equidem non negamus, fieri posse, ut in terris Regum terrenorum etiam adoptivi Filii a tributis censuque liberi sint: sed ejusmodi adoptio nihil aliud est, quam privilegium, non jus naturæ. Simile Deus privilegium concedere posset Filiis suis adoptivis: sed concessisse, nusquam legitur, nec probari potest. Quin potius, non concessisse, Dominus nostra historia docuit, quando jus solum in natura & generatione fundatum urfit, atque hoc solum urgendo privilegia non agnovit. Possemus de scandalo, unoque atque altero puncto plura addere, nisi tempus esset hic subsistere, & gratias agere debitas Deo Patri, Filio, & Spiritui Sancto, cui fit laus, honor & gloria in seculorum secula, Amen.



94 A 7376

ULB Halle

3

003 263 55X




Reho

VO 77

Mi. 50.





9.21.

DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
DIDRACHMIS
A
CHRISTO SOLVTIS.

Von dem
von Jesu bezahlten Zins-Groschen

Matth. XVII. vers. 24. seqq.

DE QVA
SVB PRÆSIDIO
SEBASTIANI SCHMIDT,
SS. THEOL. D. P. P. ORDIN. TEMPLI CATH.
ECCLESIASTÆ,
IN AVDITORIO PVBLICO

RESPONDEBIT
M. MICHAEL FRENTZ, ARGENT.
D. M.

ARGENTORATI.

VITEMBERGAE
Recusa, PRELO HAKIANO. AN. MDCCXXXVII. (6)

